



HOBBITVS ILLE

THE HOBBIT TRANSLATED INTO LATIN
BY MARK WALKER

J.R.R. TOLKIEN



Collis Ille : Hobbiton trans Aquam



HOBBITVS ILLE

AVT

ILLVC ATQVE RVRSVS RETRORSVM

J.R.R. Tolkien

ex Anglico sermone in Latinum conuersus a
Marco Walker



HarperCollins*Publishers*

ᚻᚩᛒᛒᛁᛏᚢᛋ · ᛁᛚᛚᛖ

ᚪᚢᛏ

ᛁᛚᛚᚢᚳ · ᚪᛏᚳᚹᚢᛖ · ᚱᚢᚱᛋᚢᛋ · ᚱᛖᛏᚱᚩᚱᛋᚢᛗ

TRANSLATOR'S INTRODUCTION

As a lifelong Tolkien fan *and* an ardent Latinist, translating *The Hobbit* into Latin has been a long-cherished ambition of mine. But I am aware that others might think of it as, at best, a rather whimsical endeavour ("You're doing *what*?", "*The Hobbit* – in *Latin*!", "Who's going to read *that*?!"). So perhaps I should begin by explaining why I think there are such good reasons for doing it that the only wonder is it had not been done sooner.

There is, as anyone who has taken the trouble to study Latin knows, a curious gap in the available reading material. On the one hand are simplified stories for classroom use, on the other the glories of high Latin literature – but remarkably little inbetween. What is there for the intermediate reader, who is tired of the textbook but not quite ready to grapple with the stately poetry of Virgil or the grand rhetoric of Cicero? What for the accomplished reader who wants to escape from Ancient Rome's marbled halls from time to time? What for the reader who just wants to read Latin – the very idea! – for *fun*?

This is where the Latin *Hobbit* comes in. It is nothing

more or less than a novel – but a novel now in Latin. Which is to say, it is a Latin text whose principal aim is to be read solely for the pleasure of reading, not one to be studied with the aid of copious editorial notes, or laboured over in order to glean hard-won quotations for an essay assignment. Reading for pleasure is a rare experience for Latinists, who, in my opinion, deserve to enjoy themselves as much as anyone else.

Happily, Tolkien's immortal story lends itself to such a Latin translation: the sentences are generally short, the sense is always clear, the story is easy to follow. Tolkien's perspicuous prose and the clarity of his exposition are a gift to any translator. But for the Latinist especially, *The Hobbit* has other recommendations. There are no telephones, computers, automobiles, or other such modern ephemera in Middle-earth (though Tolkien does mention a train once), so most of the action can be described using the vocabulary of a standard Latin dictionary. Tolkien writes with a sonorous dignity of expression that falls naturally into Latin cadences. And scattered generously throughout are an array of songs, which add delightful variety to the text.

As it turns out, the world of Bilbo Baggins is so vividly present to the imagination that it survives any artificiality imposed on it by translation into the language of Ancient Rome. Not that this version aspires to imitate the idiom of Roman writers anyway (a pointless exercise, in my

opinion), but rather to present Tolkien's words as faithfully and as comprehensibly as possible for the enjoyment of contemporary Latinists. This is not *The Hobbit* as if written for the Emperor Augustus; it is simply *The Hobbit* for anyone who has sufficient Latin grammar and a good dictionary.

There are, inevitably, some unfamiliar words. But I have not invented where Latin already has a term that at least approximates to Tolkien's. So, for example, the fairy-like spirits of the Roman forests were *dryades*, which is sufficiently analogous to stand in for Tolkien's elves; and if the Romans didn't mean by *nanus* what Tolkien meant by dwarf, then we can say the same for the English word too. *Hobbitus* itself seemed a relatively obvious coinage, though I did puzzle over troll for quite some time. Trolls being creatures of Norse myth, none of the extant Latin terms quite seemed to fit – words like *belua* or *monstrum* were too general, and *gigantes* are clearly a separate race. But on the pattern of *Gollum* (a fortuitous neuter proper noun) I felt readers would not object to *trollum* (plural *trolla*). I had more trouble when Bilbo taunts the spiders with archaic 'arachnid' words like *Attercop* and *Lob,* for I not only needed something suitably scurrilous, but also something that would fit the verse metre; with a little effort, though, we might imagine that our Latin-speaking spiders are annoyed to be reminded of the fate of their mythical Greek ancestor,

Arachne.

Most proper names remain easily recognisable and have simply been assigned a Latin termination and a declension – Bilbo is *Bilbo, Bilbonis*, Smaug is *Smaug, Smaugis*, and Gandalf is *Gandalphus, Gandalphi* – with the exception of names that are obviously descriptive; so, for example, Thorin's surname becomes *Scutumquerceum*, and Bilbo's bullish ancestor is *Taurifremitor*. The troll William's nickname 'Bill' I have rendered as *Rostrum* – a little Latin pun, however execrable.

One of most enjoyable, as well as one of the most challenging, tasks was to render Tolkien's many songs into Latin verse. Translating poetry from one language to another is necessarily more paraphrase than translation, so my first objective was to make my Latin verses true to the spirit, if not necessarily the letter, of Tolkien's originals. To achieve this I had initially planned to use classical quantitative metres throughout – those formal edifices familiar to (and sometimes dreaded by) Latin students from classroom encounters with the Augustan poets. However, I soon realised this would not quite do. In the very first chapter, for example, the dwarves sing a solemn and ancient song, *Far over the misty mountains cold*, which readily lends itself to the weighty dignity of classical metre. But in the same chapter they break into an impromptu ditty about smashing poor Bilbo's precious

crockery, and this song, so it seemed to me, worked much better in rhythmic (and rhyming) form. When Gollum and Bilbo set each other riddles, these naturally take quantitative shape – this is, after all, an ancient game played since time immemorial – but when the goblins of the Misty Mountains sing to a marching beat, an ominous trochaic pulse best captures the rhythmic stamp of their feet. By contrast, the facetious elves of Rivendell express themselves in lilting iambics.

When I considered that many readers (unless they are musically inclined) will not previously have encountered rhythmic and rhyming Latin verse, I felt certain that this diversity of versification would impart a pleasing extra dimension to the book. Perhaps, after reading the Latin songs of dwarves and goblins here, you may be tempted to investigate some of the medieval verses that inspired them, the magisterial *Dies Irae*, for example, or the rumbunctious songs of the *Carmina Burana*. And if they inspire you to *sing* some Latin, so much the better.

Translating *The Hobbit* has been quite an adventure: exciting, fascinating, daunting, terrifying. All those, and more besides. When I began this project I shared the trepidation Bilbo felt on setting out; as the work progressed – seemingly with no end in sight – I had my own moments of despair in the darkness; but at last I rejoiced, as did Bilbo, in the satisfaction of bringing my own (literary) adventure to a conclusion: *forsan et haec*

olim meminisse iuuabit.

All that remains is for me to extend my grateful thanks to David Brawn at HarperCollins for his faith in this book and in me, and to Mike Barry, the much-loved Head of Classics at Caldicott School, whose diligent proofreading of the early chapters saved me from some silly errors.

NOTA BENE

Unfamiliar or new words are marked with an asterisk (*) on their first occurrence and are glossed in the vocabulary at the end, where you will also find a list of proper names. The various verse metres are noted in a brief appendix. Spelling and orthography follow that of the *Oxford Latin Dictionary*, hence no distinction is made between vocalic and consonantal ‘i’ and ‘u’, and only proper names are capitalised. This has also been my primary (but not sole) reference for definitions and word use.

Mark Walker

CAPITA

ᚻᚩᛒᛒᛁᛏᚢᛋ · ᛁᛚᛚᛖ

ᚪᚢᛏ

ᛁᛚᛚᚢᚳ · ᚪᛏᚳᚹᚢᛖ · ᚱᚢᚱᛋᚢᛋ · ᚱᛖᛏᚱᚩᚱᛋᚢᛗ

haec est fabula de rebus praeteritis. illis temporibus linguae atque litterae a nostris hodie ualde distulerunt. illae linguae in sermonem Latinum conuersae sunt. duas autem quaestiones animaduertas, scilicet: (1) Latine, uerbum *nani* solum signifi cat *pumiliones*, id est *homines paruulos* non, ut in hac fabula, gentem antiquam e qua Thorinus Scutumquerceum et comites orti sunt. (2) hic *orcus* est nomen quod illis in temporibus hobbiti beluis, quae plerumque *gobelini* (aut *hobgobelini* pro generibus grandioribus) appellantur, dederunt. id nomen nequaquam pertinet ad *Orcum* Latine, id est *Dis*, deus inferus aut inferi ipsi.

runae fuerunt litterae ueteres, quae in principio ad eas insculpandas et inscribendas ligno uel saxo uel metallo in usu erant, itaque tenues atque angulosae fuerunt. in temporibus huius fabulae nani solum illis frequenter uti sunt, praecipue historias priuatas aut arcanas scribendi causa. in hoc libro runae eorum runis Latinis, quas nunc pauci cognoscunt, signifi cantur. si runae in Tabula Geographica Throris cum uerbis Latine transcriptis (in paginis XXXIV et LXVII) comparantur, tum litteras ad linguam nostram accomodatas inuenire et titulum in runis

superscriptum legere licet.

in Tabula Geographica omnes runae solitae inueniri possunt. pro *j* atque *v*, *i* atque *u* utuntur. nulla fuit runa pro *q* (utere *cw*); neque pro *z* (runa nanorum uti licet, si necesse est). inuenies, tamen, aliquas runas singulas signifi care duas litteras nouas, scilicet: *th*, *ng*, *ee*; aliis quoque runis generis eiusdem (*e a* e t *st*) aliquando utebantur. ianua celata signata est i . a latere manus eam monstrauit, et sub ea haec scripta sunt:

duae runae ultimae sunt litterae primae Throris et Thraini. runae-lunae, quas Elrond legit, fuerunt:

in Tabula Geographica, quattuor cardines a runis signifi cantur, cum Oriente in summo, ut solebat in tabulis geographicis nanorum, itaque legantur in modo horologii: Or(iens), M(eridie), Oc(cidens), S(eptentriones).

CAPVT PRIMVM

CONVIVIVM INOPINATVM

in foramine terrae habitabat *hobbitus: nec foedum, sordidum madidumque foramen, nec extremis lumbricorum atque odore caenoso impletum, nec etiam foramen aridum, inane, harenosum, in quo nihil erat ad considendum aut edendum aptum; immo foramen-hobbitum, ergo commodum.

quod ianuam omnino rotundam, fenestrae nauis similem, uiridem pictam cum *bulla aeraria flauenteque in media accurate defixa habuit. aperta est ianua in atrium tubulatum, *cuniculo simile: cuniculus autem commodissimus, non fumidus, cum parietibus lacunatis et solis pauimentatis et *tapetis tectis, qui sellis expolitis et plurimis uncis ad petasos amiculaque suspendenda ornatus est – nam hospites hobbito placebant. cuniculus, magis minusue in linea directa iter faciens, porro et porro in

latus Collis – Collis Ille, ut totus populus multa milia passuum circum illum appellauit – sinuabat, ex quo multae et paruae fores apertae sunt, alter hinc alter illinc. ascendere scalas hobbito non opus fuit: cubicula, balnea, *apothecae, *cellae penariae (multae earum), uestiaria (fuerunt hobbito conclauia uestibus omnino dedicata), culinae, triclinia, omnia in eodem plano fuerunt, profecto in eodem meatu. conclauia ad sinistram (intus) fuerunt optima, nam sola ex omnibus fenestras habuerunt, profunde defixas, rotundas fenestras, quae hortum eius et prata ultra ad flumen proclinata prospexerunt.

hobbitus ille fuit hobbitus diuitissimus, cui nomen fuit Baggins. Bagginses in uicinia Collis iamdiu habitauerant, qui honestissimi habebantur, non modo quod plerique diuites fuerunt sed etiam quod nec umquam *facinora audacia nec quicquam inopinatum fecerunt: quicquid Bagginsi cuidam liceat dicere de re qualibet sine labore rogandi eum cognosceres. haec est fabula de modo in quo Baggins quidam facinus fecit audax, et inuenit se agere et dicere res omnino inopinatas. qui fortasse honorem uicinorum amiserit, sed acquisiuit – uerumtamen inuenies num is quicquam denique acquirat.

mater ipsius hobbiti nostri – quid est hobbitus? hobbitis opus est, ut opinor, explanatione quadam hodie, quoniam rari facti sunt et Hominum Magnorum, ut nos appellant, timidi. sunt (aut erant) homines paruuli, circa dimidium proceritatis nostri, et minores quam nani barbati. barbae

hobbitis non sunt. est illis paululum aut nihil *magiae, praeter uulgare cottidianum genus, quod illis usui est ut taciti et cito se auferant quandocumque talis ingens et stulta gens qualis tu et ego rustice errat, strepitum simile elephantis faciens, quem illi milibus passuum abhinc audire possunt. procliuitatem ad pinguem uentris habent; in coloribus splendidis (plerumque uiridi et luteo) se uestiunt; calceos non induunt, quod plantae pedum coriis naturalibus augentur et capillis densis calidis fuluis sicut crines in capite (qui sunt crispi); longos peritos fuluos digitos habent, uultus apertos, et risus altos sucososque rident (imprimis post cenam, quam bis in die edunt quandocumque possunt). nunc satis intellegis ut tibi progredi liceat. ut dicebam, mater huius hobbiti – id est Bilbonis Bagginsis – fuit illustris Belladonna Took, una ex tribus filiabus praeclaris Senis Tookis, capitis hobbitorum qui trans Aquam, quae est flumen paruum quod subter Collem fluebat, habitabant. saepe dicebatur (in aliis familiis) maior Took quidam certe uxorem nympham olim duxisse. quod, sane, absurdum fuit, sed nihilominus de illis fuit nescio quid hobbitis dissimilius, et aliquando aliqui gentis Tookis facinora audacia facere solebant. caute se abstulerunt, et familiae rem celauerunt; uerum Tookes tamen fuerunt non tam honesti quam Bagginses, quamquam haud dubio diuitiores fuerunt.

scilicet, postquam Domina Bungo Baggins facta, Belladonna Took numquam facinora fecit audacia. Bungo,

qui pater Bilbonis fuit, pro ea (et partim a pecunia eius) sumptuosissimum foramen-hobbitum, quod aut sub Colle aut supra Collem aut trans Aquam inueniri potuit, aedificauit, et ibi ad supremos dies manserunt. nihilominus ueri simile est Bilbonem, unicum filium eius, quamquam et in specie et in moribus editio secunda patris solidi gratique esse uideretur, paruum aliquid alieni ex gente Tooke in natura sua accepisse, aliquid, quod solum occasionem exspectabat ut se patefaceret. numquam occasio aduenit, donec Bilbo in aetatem peruenit, circa quinquaginta annos natus, et in amoeno foramine-hobbito a patre eius aedificato, quod tibi modo descripsi, habitabat, donec, re uera, is domicilium immobile habere uisus est.

fortuna insolita, quodam mane iampridem in tranquilitate orbis terrarum, cum minus clamoris et plus uiridis erat, et hobbiti etiam numerosi fortunatique erant, et Bilbo Baggins post ientaculum in fore stabat fumum emittens ex *fumisugio longo ligneo ingentique, quod ad digitos laneos (compte pectos) pedum paene declinabat – aduenit Gandalphus. Gandalphus! si tu quartam partem solum audiuisses rerum quae ego de illo audiui, et ego minimam solum omnium rerum, quae audiri possunt, audiui, tu ad fabulam mirabilem quamlibet praeparares. ubicumque ille iter fecit, fabulae et facinora audacia oriebantur, in modo insolitissimo. per saecula et saecula non illuc aduenerat, non, uero, ex quo tempore cum amicus eius Senex Took mortuus est, et hobbiti faciei eius paene

obliti erant. super Collem trans Aquamque negotia sua gerens afuerat ex quo hi fuerunt parui pueri-hobbiti atque puellae-hobbitae.

illo mane Bilbo nulla suspicione senem cum baculo solum uidit. qui petasum altum acutum caeruleum, amiculum longum rauum, *amictorium argenteum, supra quod barba eius longa et cana infra medium corporis pendebat, caligasque ingentes nigras habuit.

“bonum mane!” Bilbo sincere inquit. sol lucebat, et gramen erat uiridissimum. Gandalphus autem subter supercilia longa fruticosa, quae ulterius quam labrum petasi umbrosi propagauerunt, eum aspexit.

“quid uis?” inquit. “tune me habere bonum mane iubes, aut mane esse bonum uis, utrum id uellem necne; aut te bonum sentire hoc mane; aut mane esse in quo quidam sit bonus?”

“cuncti eorum simul,” Bilbo inquit. “atque mane etiam amoenissimum ad fumisugio *tabaci foris utendum. si fumisugium possideas, conside et tuum cum meo comple! noli properare, totum diem ante nos habemus!” tum Bilbo in sella iuxta ianuam suam consedit et, cruribus implexis, coronam pulchram fumi glauci, quae in aerem intacta uolabat et procul super Collem deferebatur, emisit.

“pulcherrima!” Gandalphus inquit. “sed hoc mane tempus emittendi coronas fumi non mihi est. nam quemdam quaero, qui facinus audax, quod ego compono, coniungat, et inuenire quemquam difficillimum est.”

"sane – his in regionibus! gens simplex sedataque sumus, quae facinoribus audaciis non utitur. foedae, tumultuosae, incommodae res! efficiunt ut tarde cenes! non intellego quid quisquam in eis uideat," inquit Dominus Baggins noster, et pollicem unum post *fascias bracarum posuit, et alteram maiorem etiam coronam fumi emisit. tum litteras matutinas eductas legere incepit, simulans ut se non iam senem animaduerteret. nam constituerat eum esse parum generis sui, et cupiuit eum abscedere. senex autem se non mouit. in baculo suo innitens stabat et nihil loquens hobbitum spectabat, donec Bilbo incommodior factus est et etiam iratior.

qui "bonum mane!" tandem inquit."quaelibet facinora audacia hic nolumus, tibi gratias! tibi liceat conari supra Collem uel trans Aquam." his uerbis in animo habuit sermonem terminare.

"quot res *bonum mane* tibi significat?" Gandalphus inquit. "nunc tu significas te uelle me dimittere, et id non bonum erit donec hinc discessero."

"minime, minime, carissime! immo, non puto me cognoscere nomen tuum?"

"maxime, maxime, carissime – atque ego nomen tuum cognosco, Domine Bilbo Baggins. atque tu nomen meum cognoscis, quamquam oblitus es id me esse. Gandalphus sum, et Gandalphus me significat! heu, adeo uixi ut *bonum mane* a filio Belladonnae Tookis iubear, quasi *orbiculos ad ostium uenderem!"

"Gandalphe! Gandalphe! o me felicem! nonne *magus errabundus qui par bullarum adamantinarum magicarum, quae numquam resolutae sunt donec iussae sunt, Seni Tooki dedit? nonne homo festiuus qui fabulas mirabiles de draconibus et *gobelinis et *gigantibus et uirginibus regiarum liberandis et fortuna inopinata filiorum uiduarum in conuiuiis dicebat? nonne ille qui tam optimos *pyrobolos chartaceos faciebat! eos memini! quos Senex Took pridie Mediam Aestatis habebat. eugepae! quasi lilia ingentia et *antirrhina et laburna ignis ascenderent et in crepusculo per totum uesperum penderent!" iam animaduerteris Dominum Bagginsem non esse tam ieiunum quam sibi credere libuerit, eum quoque florum amantissimum esse. "me miserum!" continuabat. "nonne Gandalphus ille qui plurimos pueros et puellas in Caeruleum discedere facinorum insanorum causa praestabat? quaelibet ab arboribus ascendendis usque ad *dryades salutandas – aut naues nauigandas, nauigare ad litora aliena! pro fidem, uiuere erat iucund- uolo dicere te olim res in his regionibus male perturbauisse. mihi ignosce, sed te adhuc in negotiis esse nesciui."

"alibi me esse oportet?" magus inquit. "nihilominus, mihi placet cognoscere te de me nonnihil meminisse. pyrobolos chartaceos meos benigne meminisse uideris, saltem, ergo res non sine spe est. sane, pro auo Sene Tooke, et pro misera Belladonna, id quod poposcisti tibi dabo."

"ignosce mihi, nullum poposci."

"poposcisti! bis nunc. ignosce, id tibi dabo. immo, te in facinus audax mittam. mihi iucundissimum, tibi salutarissimum – etiam lucrosum, probabiliter, si umquam ei superfueris."

"me paenitet! quaelibet facinora audacia non cupio, tibi gratias. non hodie. bonum mane! sed ad *theam ueni, quaeso – quandocumque tibi placet! quin cras? cras ueni! uale!" his dictis, hobbitus tergum uertit et intra ianuam rotundam uiridem festinauit, quam clausit tam celeriter quam ausus est, ne insolens uideatur. magi uero sunt magi.

"cur in orbe terrarum eum ad theam rogaui?" secum inquit, ad cellam penariam iens. modo ientauerat, sed putauit libum uel dua atque potionem quamdem futura esse bona sibi post terrorem suum.

interim Gandalphus foris adhuc stabat, longe sed tacite ridens. paulo post, aggressus est et signum insolitum in ianuam hobbiti pulchram uiridem cuspide baculi rasit. tum gradum rettulit, eodem paene tempore cum Bilbo libum alterum consummabat et se facinora audacia optime uitauisse cogitabat.

qui postridie Gandalphi paene oblitus erat. res non optime recordatus est, nisi eas in *tabula negotiorum inscripsit: sicut *Gandalphus ad theam die Mercurii*. heri commotior fuerat ne quicquam inscriberet.

paulo ante theam, tintinnabulum ianuae tremende tinniuit, denique rem recordatus est! ad *aeneum

calefacendum festinauit, et poculo altero patellaque collocatis, et libo nouo uel duobus, ad ianuam cucurrit.

"ualde me paenitet ut manseris!" dicturus, cum illum non prorsus Gandalphum esse uidit. fuit *nanus cum barba caerulea succincta in cingulo aureo, oculis nitidissimis subter *cucullum glauci-uiridis. qui, quam primum ianua aperta est, impetu introiit, quasi expectatus esset.

cucullo in unco proximo defixo, "Dwalinus," inquit profunde caput demittens, "tibi seruio!"

"Bilbo Baggins, etiam tibi!" hobbitus inquit, adeo stupefactus ut in praesens eum non interrogaret. silentio sequente facto molesto, addidit: "ego habiturus theam; ueni, quaeso, ut mecum aliquam habeas." aliquantulum frigidum, fortasse, sed bona fide dictum. nam quid agas tu, si nanus inuocatus adueniret et nulla explanatione uestes in atrio tuo defixerit?

ad mensam non diu fuerunt, immo ad libum tertium uix peruenerunt, ubi iterum tintinnabulum etiam clarius tinniuit.

"mihi ueniam da!" hobbitus inquit, tum ad ianuam discessit.

"denique aduenisti!" hoc tempore Gandalpho dicturus. Gandalphus autem non adfuit. in eius uicem fuit in limine nanus specie senectissima cum barba alba et cucullo coccineo; qui etiam saltuatim introiit quam primum ianua aperta est, quasi uocatus esset.

"uideo eos iam aduenire coepisse," inquit cum cucullum

Dwalini uiridem defixum aspexit. rubro suo defixo iuxta eum, “Balinus,” inquit cum manu in pectore, “tibi seruio!”

“tibi gratias!” Bilbo anhelans inquit. prauum fuit dictu, s e d *eos aduenire coepisse* eum ualde commouerat. hospites ei placuerunt, sed eos cognoscere antequam aduentum est maluit, et ipse eos uocare maluit. trepidus existimabat ut liba deficerent, tum ipse – ut cenae pater: nam officium suum intellexit et egit, quamuis ei doluerit – eis necessario careret.

“introi ut theam aliquam habeas!” anima inspirata dicere potuit.

“paululum *ceruisiae malim, si totum aequi bonique facias, domine bone,” inquit Balinus cum barba alba. “sed aliquid libi mihi licet – libum cum seminibus, si quicquam habeas.”

“multum!” ille inuenit se respondere, stupefactus, et inuenit se quoque ad apothecam festinare ut *scyphum sextarium ceruisiae compleret, tum ad cellam penariam ut dua pulchra rotunda liba cum seminibus, quae post meridie illo coxerat gustandi causa post cenam, ferret.

cum reuenisset, Balinus et Dwalinus ad mensam inter se loquebantur sicut ueteres amici (re uera fratres erant). Bilbo ceruisiam et libum apud eos deposuit, cum clare tintinnabulum semel atque iterum tinniuit.

“Gandalphus, pro certo,” putabat dum per meatum anhelans it. ille autem non adfuit. fuerunt duo plus nanorum, ambo cum caligis caeruleis, cingulis aureis, et

barbis flauis; uterque saccum instrumentorum plenum et palam ferebat. saltuatim introierunt quam primum ianua aperiri coepit – Bilbo uix stupefactus est.

“quid uobis agam, nani mi?” inquit.

“Kilius, tibi seruio” alter inquit. “et Filius,” alter addidit; atque ambo cucullum caeruleum eripuerunt et caput demiserunt.

“etiam tibi, et familiae tuae!” Bilbo respondit, hoc tempore mores suos recordatus.

“uideo Dwalinum et Balinum iam adesse,” Kilius inquit. “turbam iungamus!”

“turba!” Dominus Baggins putauit. “cuius sonus non mihi placet. profecto necesse est mihi considere per momentum temporis ut ingenium meum colligam, et bibere.” modo degustauit – in angulo, dum quattuor nani circa mensam sedent atque loquuntur de fodinis atque auro et molestiis cum gobelinis, et draconum spoliationibus, et rebus ceteris quae ille nec intellexit, nec intellegere cupiuit, quod multo audacior esse uisae sunt – cum *ding-dong-a-ling-dang*, tintinnabulum rursus tinniuit, quasi hobbitus-puer quidam improbus capulum eripere conaretur.

“aliquis prope ianuam!” nictans inquit.

“aliqui quattuor, sonitu licet mihi dicere,” Filius inquit. “quos, praeterea, uenientes post tergum procul uidimus.”

hobbitus misellus in atrio consedit et, capite in manibus, quid acta essent et quid actura essent miratus est, et num

omnes cenaturi essent. tum tintinnabulum rursus tinniuit, clarius quam umquam, et ad ianuam ei festinandum fuit. non autem fuerunt quattuor, sed QVINQVE. nanus alius aduenerat dum ille in atrio miratur. bulla uix uersa, omnes in interiore fuerunt, capita demittentes dicentesque "tibi seruio" alius post alium. Dorius, Norius, Orius, Oinus et Gloinus appellati sunt; mox duo cuculli purpuri, cucullus canus, cucullus fuluus, atque cucullus albus in uncis defixi sunt, et cum manibus latis in cingulis aureis argenteisque positis incesserunt ut alios iungerent. iam turba paene facta est. alii ceruisiam, alii merum poposcerunt, unus *cafaeum, omnes liba, ut hobbitus aliquamdiu occupatissimus esset.

urna cafaei in foco modo posita erat, liba cum seminibus finita erat, et nani placentas cum *butyro edere incipiebant cum uenit – pulsatio clara. pulchra ianua uiridis hobbiti non tinniebatur sed dure pulsabatur. nescio quis eam baculo pulsabat!

Bilbo iratissimus atque omnino stupefactus stupebatusque per meatum festinauit – haec dies Mercurii fuit inscitissima, quam umquam recordatus est. impetu ianuam aperuit, et alii aliique turbide procuberunt. plures nani, quattuor plus! Gandalphus etiam, in baculo suo innitens et ridens, adfuit, qui in ianua pulchra iniuriam ualde conspicuam fecerat; quoque signum occultum, quod illic mane pridie posuerat, deleuerat.

qui "caue! caue!" inquit. "non tibi similis est, Bilbo, ut

amicos in *tegete detineas et tum ianuam sicut manuballistam aperias! Bifurem, Bofurem, Bomburem, et praecipue Thorinum tibi commendam!"

"tibi seruio!" Bifur, Bofur et Bombur in ordine stantes inquiunt. tum duos cucullos flauos et unum sub uiridis defixerunt; unum quoque caeruleum cum *filo fimbriato longo argenteo, qui fuit Thorini, nanus magni momenti, re uera non alius quam magnus Thorinus Scutumquerceum ipse, cui in limine Bilbonis procumbere Bifure, Bofure et Bombure supra eum non ualde placuit. Bombur, uero, pinguissimus fuit et ponderosus. Thorinus quidem superbissimus nihil de *seruio* dixit; miser autem Dominus Baggins crebro dixit se excusari ut demum ille "quaeso, noli mentionem facere," grunniret et frontem contrahere desisteret.

"nunc, nos omnes adsumus!" Gandalphus inquit, aspiciens ordinem tredecim cucullorum – optimorum cucullorum pro conuiuiis disiunctorum – et petasum suum, qui in uncis pendebant. "iucundiores coetus! spero aliquid cibi et potionis superesse eis qui tarde aduenerunt! quid? thea! minime. paruulum uini rubri mihi, puto."

"mihi etiam," Thorinus inquit.

"atque *conditura rubi idaei et crustulum malorum," Bifur inquit.

"atque crustum carnis concisi et caseus," Bofur inquit.

"atque crustum porcis et acetaria," Bombur inquit.

"atque plura liba – et ceruisia – et cafaeum, si tibi

placeat," ceteri nani per ianuam uocauerunt.

"oua pauca coque, mi sodalis bone!" Gandalphus ad eum clamauit, dum hobbitus ad cellas festinat. "et solum pullum frigidum atque salsuras exporta!"

"ille tantum de interioribus cellarum mearum scire uidetur quantum ego ipse!" putauit Dominus Baggins, ualde agitatus, qui num facinus miserrimum usque domum suum aduenisset mirari incipiebat. eo tempore, cum omnes lagonas atque *catilla atque cultros furcasque atque uitra atque patellas atque *cochlearia atque alia in ferculis magnis cumulauerat, calidissimus et ruber facie et iratissimus fiebat.

"confundite et obtundite hos nanos!" magna uoce inquit. "quamobrem ad me iuuandum non ueniunt?" ecce! ibi stabant Balinus et Dwalinus iuxta ianuam culinae, in tergum quorum Filius et Kilius, et antequam *culter* dicere possit, illi fercula atque duas mensas paruas in triclinium rapuerant et omnia de nouo disposuerant.

Gandalphus tredecim nanis circumdatus ad caput conuiuii sedebat: Bilbo in *scabillo iuxta focum sedebat, *biscoctum admordens (cibum ualde fastidiuit), et apparere conans quasi omnia sint usitatissima et nequaquam facinus audax. nani edebant atque edebant, loquebantur atque loquebantur, et tempus fugit. demum sellis eorum repulsis, Bilbo ad patellas uitraque colligenda se mouit.

"puto omnes uos cenaturos esse?" uoce blandissima

minime postulatione inquit.

“sane!” Thorinus inquit. “postea etiam. negotium donec serum non perficietur, et primum nobis cantandum est. nunc purgandum est!”

statim duodecim nani – Thorino excepto, qui ualde magni momenti fuit et cum Gandalpho loquens mansit – ad pedes saluerunt et cumulos altos omnium fecerunt. ferculis non expectatis, columnas patellarum, quaeque lagona in summa posita, perpendentes exierunt, dum hobbitus eos sequitur paene stridens in terrore, “caue, quaeso!” et “noli curare, quaeso! id gerere possum.” nani autem modo cantare coeperunt:

frange uitra et catilla!
cultros tunde, furcas flecte!
Bilbo Baggins odit illa –
nunc et cortices incende!
textum seca, sebum calca!
lactem funde cellae terra!
linque in tapeto ossa!
uinum sperge super porta!
has patellas aestu laua;
has contunde magna claua;
si nonnulla sint intacta,
uolue ea e culina!

Bilbo Baggins odit illa!
caue! caue! haec catilla!

plane, nihil harum rerum malarum fecerunt, et omnia purgabantur et tute suis locis ponebantur quam celerrime, dum hobbitus se in media culina circum atque circumuertit, conans uidere quas res illi agebant. regressi, Thorinum pedibus iuxta focum fumisugium fumantem inuenerunt. qui ingentissimas coronas fumi emittebat, quocumque unam quarum ire iussit, illa iit – aut sursum in *ductum fumarium aut post *horologium, quod in tabula supra focum positum est, aut subter mensam aut circum atque circum laquearem; sed quocumque illa iit, non satis celer esse potuit ut Gandalphum uitare posset. qui crepitu coronam minorem ex fumisugio breui argillae recta uia in mediam quamque Thorini emisit. tum corona Gandalphi, in uiridem uersa et regressa, super caput magi pependit. iam nubem quarum circum eum habuit, et lumine obscura alienus magicusque esse uisus est. Bilbo adstans aspiciensque – coronas fumi dilexit – de superbia sua in coronis fumi, quae heri mane secundo uento super Collem emiserat, cogitare erubuit.

"nunc est cantandum," Thorinus inquit. "organa afferte!"

Kilius et Filius ad sacculos suos festinauerunt et fides paruas rettulerunt; Dorius, Norius et Orius tibias extulerunt ex aliquo loco infra amicula sua; ex atrio Bombur tympanum produxit; Bifur et Bofur quoque egressi et cum *tibiis clarisonis, quos inter bacula reliquerant, regressi sunt. Dwalinus Balinusque, "mihi ueniam da," inquiunt, "meum in atrio reliqui!" "referte modo meum

uobiscum," Thorinus inquit. illi cum fidibus tam magnae quam ipsi reuenerunt, et cum lyra Thorini in texto uiridi inuoluta. fuit lyra aurea et speciosa, quam cum primum psallit Thorinus, simul incepit symphonia tam repente et cum dulcedine ut Bilbo, ceterarum rerum oblitus, in terras tenebrosas sub lunis alienigenis longe trans Aquam et longissime e foramine-hobbito infra Collem raperetur.

a fenestra parua, quae in latere Collis aperta est, in conclaue ueniebant tenebrae; lux ignis tremebat – fuit Aprilis – etiamnunc modulabantur, dum umbra barbae Gandalphi in muro mouetur.

tenebris totum conclaue impletum est, et igne mortuo et umbris peritis, etiamnunc modulabantur. subito modulans alius tum alius canere coepit imo uoce nanorum in imis domorum antiquorum; et hoc est fragmentum cantus eorum, si sine musica simile cantui eorum sit.

trans Montes Nebulae frigore dissitos
altas ad latebras et ueteres specus
discedamus abhinc, ante oritur dies,
quaesitum in magicis auriferis locis.

maiores faciunt carmina pristine
tinnituque sonant uerbera mallei
altis in spatiis quis mala dormiunt
effossis domibus sub scopulis iugi.

et reges ueteres et Dryadum duces
thesauros nitidos et simul aureos
fingunt et fabricant, luminaque auferunt
quae gemmis tegerent in capulis ibi

pendent florea nunc stella monilibus
albis, flectitur et uertice regio
anguis flammiferus, stamine ferreo
nunc nocturna ligant soleque lumina.

trans Montes Nebulae frigore dissitos
altas ad latebras et ueteres specus
discedamus abhinc, ante oritur dies,
nostras immemores diuitias cape!

caelant pocula nec non citharas sibi
auri sedibus in quis habitat nemo,
illic illa diu deposita atque ibi
inaudita canunt carmina gentibus.

pinetisque datis flammibus editis
uentosae tenebrae cum gemitu fremunt,
diffusis roseis flammibus arduis
fulgentes radiant arboreae faces.

tintinnat sonitus uallibus aereus,
spectantes homines palliduli pauent,
serpentis rabies acrior ignibus
turres tum spoliat tum fragiles lares.

sub luna cineres montibus excidunt,
nani percipiunt exitii gradus,
aulas effugiunt, exanimes cadunt
eius sub pedibus, sidere sub fero.

trans Montes Nebulae frigore dissitos
altas ad latebras et ueteres specus
discedamus abhinc, ante oritur dies,
furemur citharas, aurigeros locos.

dum cantant, hobbitus sensit amorem rerum pulchrarum, quae a manibus atque calliditate atque magia factae essent, per ipsum transire, amorem quidem ferocem inuidiosumque, cupiditatem in cordibus nanorum. tum aliquid Tookis intra eum excitatum est et cupiuit se ad montes magnos uisere, pineta atque *deiectus aquae audire, antra explorare, et ensem pro baculo induere. e fenestra prospectauit. stellae in tenebris super arbores apparebant. de gemmis nanorum nitentibus in antris tenebrosis cogitauit. subito in silua ultra Aquam, flamma exsiluit – nescio quis probabiliter ignem ligneum incedebat – et de draconibus spoliantibus in colle suo

placido insidentibus atque eum omnino inflammantibus cogitauit. horrescit; et celerrime simplex fuit iterum Dominus Baggins, Bag-Finis, Sub-Colle.

tremens surrexit. minus quam dimidium mentis habuit ut lucernam peteret, atque plus quam dimidium mentis ut id simularet et se post *cupas ceruisiae in apotheca celaret, neque rursus egrederetur donec omnes nani discesserint. subito se comperit musicam cantumque desiisse, et omnes cum oculis nitentibus in tenebris eum intueri.

“quo is?” Thorinus inquit, uoce quae uisa est demonstrare eum ambas dimidias partes mentis eius coniecisse.

“habeamus paulum lucis?” Bilbo se excusans inquit.

“tenebrae nobis placent,” omnes nani inquit. “tenebrae tenebrosas res agendi causa! sunt multae horae ante primam lucem.”

“scilicet!” Bilbo inquit, et raptim consedit. scabello amisso in foco consedit, *rutabulum rutrumque cum fragore prosternens.

“tace!” Gandalphus inquit. “patere Thorinum dicere!” et ita in hoc modo Thorinus incepit.

“Gandalphe, nani atque Domine Baggins! apud amicum nostrum atque socium coniuratorem conuenimus, hunc splendidissimum atque audacem hobbitum – capilli digitis numquam excidant! omnes uinum ceruisiamque eius laudent! –” interquiescit ut inspiraret et ut hobbitus obseruationem quamdem humanam faceret, sed uerba

honorifica non a misero Bagginse capta sunt, qui os mouebat obtestationem faciens contra appellationes *audacem* et, pessimum omnium, *socium coniuratorem*, quamquam nullus sonus emissus est, tam commotus est. itaque Thorinus:

"conuenimus ut consilia nostra, rationes nostras, opes, propositum atque dolos disseramus. mox ante solis orientem proficiscemur in itinere longo, iter quoddam ex quo fieri potest ut nescio qui ex nobis, aut fortasse nos omnes (excepto amico nostro atque auctore, mago callido Gandalpho) numquam regredi possint. hoc est punctum temporis sollemne. consilium nostrum est, puto, nobis omnibus bene cognitum. optimo Domino Bagginsi et fortasse uno aut duobus nanorum iuueniorum (puto me recte arbitrari Kilium Filiumque, exempli causa, nominari posse) res exacta in hoc tempore paulum explicationis requirat –"

hic erat modus Thorini. nam nanus fuit magni momenti. si ei licitum esset, probabiliter in hoc modo continuaret usque donec exanimis esset, nec aliquem ibi certiorem faceret de aliquo non iam cognito. impudenter autem interruptus est. miser Bilbo haec non longius tolerare potuit. uerbis *numquam regredi possint* dictis, ululatum intus exeuntem sentire coepit, qui celerrime erupit sicut stridor *hamaxostichi e cuniculo egredientis. omnes nani mensam prosternentes exsiluerunt. Gandalphus lucem caeruleam in acumine baculi magici incendit et in fulgore

pyroboli cuius miser hobbitus in genibus in focis tapeto uideri potuit, quassans sicut *ius congelatum quod liquescebat. tum in solum decidit prostratus et “fulmine percussus, fulmine percussus!” clamitabat; haec fuerunt sola uerba quae illi ex eo diu elicere potuerunt. ergo eum sublatum in loco remoto in grabato *exedrae deposuerunt, cum potione iuxta cubitum eius, tum ad res tenebrosas reuenerunt.

“salaputium concitatum,” Gandalphus iterum considens inquit. “accessionibus insolitis insuetisque corripitur, sed unus est ex optimis, unus ex optimis – tam saeuus quam draco in arto.”

si tu umquam draconem in arto uideris, intellegas id fuisse modo hyperbolen poeticam quae nequaquam ad quemlibet hobbitum pertineret, etiam ad patruum maiorem Senis Tookis, Taurifremitorem, qui tantus fuit (pro hobbito) ut equitare potuisset. impetu facto in agmina gobelinorum Montis Grami in Proelio Agrorum Viridium, regem quorum Golfimbulum claua lignea decollauerat. cuius caput centum ulnas per aerem uolauerat tum in cuniculum descenderat, et in hoc modo simul gobelini uicti erant atque *lusus pilamallei repertus erat.

interim, tamen, mollior nepos Taurifremitoris in exedra reuiuescebat. paulo post cum bibisset ad ianuam conclauis trepidanter repsit. haec sunt uerba ab eo audita, Gloino dicente: “hem!” (uel alius fremitus cui magis minusue similis). “putatisne eum fore accommodatum? liceat

Gandalphum de ferocitate huius hobbiti loqui, sed unus ululatus illi similis in momento temporis periculoso sufficiat draconem et omnes suos excitare et nos omnes necare. eum magis e timiditate quam concitatione ululare arbitror! re uera, si signum in ianua non adfuisset, certe nos aduenisse domum alienam putauissem. quam primum salaputium in limine submittens anhelansque aspectaui, dubius fui. similior *uenditori condimentorum quam *effractario uidetur!”

tum ansa uersa Bilbo introiit. pars Tookensis uicerat. subito sensit se cariturum esse lecto ientaculoque ut ferox haberetur. de *salaputium in limine submittens*, id paene eum fecit ferocissimum. multis temporibus postea partem Bagginsem paenitebat id quod nunc egerit, et sibi dixit: “Bilbo, stultus fuisti, introrsus ambulauisti et pedem in eo posuisti.”

“mihi ignoscite,” inquit,“si uerba a uobis dicta exceperim. non simulo me intellegere haec de quibus dicitis, aut obseruationem uestram de effractariis, sed puto me recte credere” (hoc est quod dignitatem retinentem appellauit) “uos putare me non dignum esse. rem uobis demonstrabo. nulla signa in ianua mea habeo – quae hebdomadem abhinc picta est – et certissimus sum uos domum alienam aduenisse. quam primum ora inusitata uestra in limine uidi dubius eram. recta autem habeatur. dicite mihi quod fieri uultis, et id conabor, si mihi ab hoc loco ad orientem orientis ambulandum sit atque

pugnandum cum Versipellibus-uerminosis uesanis in Vltima Solitudine. olim mihi fuerat patruus maximus, Taurifremitor Took, et –”

“ita, ita, sed id iampridem fuit,” Gloinus inquit. “de te dicebam. mea fide, te promitto signum in hac ianua esse – assuetum signum in negotio. *effractarius officium bonum cupit, plenum Concitationis atque Mercedem iustam*, ut id legi solet. tibi licet dicere *Callidus Thesauri-uenator* pro *Effractario* si tibi placet. nonnulli id faciunt. nobis omnis res est eadem. Gandalphus nobis dixit hominem fuisse generis huius in his regionibus, qui officium statim quaereret, et se conuentum hic instruxisse hac die Mercurii theae-tempore.”

“sane est signum,” Gandalphus inquit. “ego ipse id ibi posui. pro rationibus optimis. me rogauistis ut hominem quartum decimum pro expeditione uestra inuenirem, et Dominum Bagginsem legi. modo alicui liceat dicere me legere hominem alienum aut domum alienam, et ad tredecim finem faciatis atque infelicitatem omnem, quae uobis placeat, habeatis, aut ad carbonem effodiendum redeatis.”

tam irate frontem contraxit in Gloinum ut nanus se in sella deduceret; atque cum Bilbo os aperire conaretur ut illum interrogaret, ille se uertit et frontem adduxit in eum atque supercillias fruticosas protusit, donec Bilbo os crepitu stricte clausit. “recte,” Gandalphus inquit. “non iam disputemus. Dominum Bagginsem legi, quam rem

omnibus uobis satisfacere oportet. si ego dico eum Effractarium esse, is quidem Effractarius est, aut erit cum tempus adfuerit. est multum de eo quam diuinatis, et multo magis quam ipse cognoscit. uos omnes uiuatis (fortasse!) ut gratias etiam mihi agatis. nunc Bilbo, mi puer, lucernam fer, ut paulum lucis in hoc habeamus!"

in mensa in luce lucernae ingentis cum umbraculo rubro chartam *tabulae geographicae similiorem extendit.

"haec fabricata est a Throre, auo tuo, Thorine," respondens nanis concitate interrogantibus inquit. "est Montis descriptio."

"quomodo haec nobis multum prosit non uideo," Thorinus inquit frustratus postquam eam aspexit. "montem satis bene memini atque terras circum eum. locum in quo Mirksilua est scio, atque Locum Ericaeum Marcidum, in quo magni dracones pariuntur."

"est draco quidam rubore signatus in Monte," Balinus inquit, "sed sine eo satis facilis erit ut eum inueniamus, si umquam illuc adueniamus."

"est res una quam non animaduertistis," magus inquit, "id est aditus arcanus. uidetisne *runam illam in latere Occidentali atque manum ad eam intendentem ex runis alteris? illa meatum celatum ad Inferiores Aulas notauit." (aspice tabulam geographicam in fronte huius libri ut ibi runas rubras uideas.)

"forsitan celatus esset olim," Thorinus inquit, "sed quomodo cognoscimus eum iam celatum esse? Senex

Smaug iam diu ibi habitauit ut omnia, quae de cauernis illis cognoscere posset, inueniret."

"possit – sed multos annos illo uti non potuit."

"cur?"

"quod minor est. 'quinque pedes altitudine ianua et in latum tres ambulent' dicunt runae, sed Smaug in foramen illius magnitudinis reptare nequit, nec etiam cum adulescens esset, certe nec postquam tantos nanos atque homines Conuallis deuorauit."

"foramen ingens mihi esse uidetur," Bilbo stridit (qui nullum usum habuit draconum sed solum foraminum-hobbitorum). concitatus iterum atque erectus fiebat, ut os claudere obliuisceretur. tabulas geographicas amauit et in atrio suo quaedam magna pendebat Ruris Circum, in qua omnes ambulationes dilectae notatae sunt in atramento rubro. "quomodo tanta ianua ab adstantibus foris praeter draconem celari potuit?" rogauit. te meminisse oportet paruum hobbitum esse solum.

"multis modis," Gandalphus inquit. "sed in quo modo haec celata sit nescimus quin eamus ut uideamus. e uerbis scriptis in tabula geographica coniciam ibi ianuam esse clausam, quae fincta est in simulacrum uerissimum lateris Montis. quae est ratio nanorum solita – nonne uerum est, ut puto?"

"uerissimum," Thorinus inquit.

"praeterea," Gandalphus continuauit, "oblitus sum tabulam geographicam sociatam esse a claue, quadam

claue parua atque admiranda. ecce!" inquit, et clauem cum fistula longa et laminis implicatis, ab auro factam, Thorino dedit. "eam cura!"

"sane eam curabo," Thorinus inquit, et eam in catena tenui, quae circum ceruicem atque subter tunicam pendebat, fixit. "nunc res non sine spe esse uidentur. hic nuntius illas in melius mutauit. usque adhuc plane nesciuimus quid acturi essemus. de itinere faciendo in Orientem cogitauimus, quam quietissime atque diligentissime, usque ad Lacum Longum. tum res molesta fiat –."

"multo maturius, si aliquid de uiis in Orientem scio," Gandalphus interrupit.

"illinc ire aduersum Flumen Fluens nobis liceat," Thorinus incuriosus continuauit, "ita ad ruinas Conuallis – oppidi antiqui in ualle sub umbra Montis. cogitatio autem Portae Anticae nobis omnibus displicuit. flumen ex ea effluit per scopulum ingentem in Meridie Montis, e qua draco quoque egreditur – multo frequentior, nisi ille mores mutauit."

"id uobis non proderit," magus inquit, "nisi cum Bellatore magno, aut etiam Heroe. quemdam inuenire conatus sum: sed bellatores in pugnando alii aliis iampridem occupati sunt, et in hac uicinitate heroes sunt rari, aut etiam non inueniri possunt. in his regionibus enses plerique sunt hebetes, atque securibus in arbores utuntur et scutis pro incunabulis uel operculis; dracones opportune

etiam longe absunt (igiturque fabulosi). quamobrem effracturam constitui – maxime postquam Ianuam ad latus esse memini. et ecce paruus noster Bilbo Baggins, effractarius *ille*, electus atque selectus effractarius. ita nunc, rem geramus atque consilia quaedam faciamus."

"ita sit sane," Thorinus inquit, "effractarius-callidus sententias aliquas uel admonitus nobis det." urbanitate ficta ad Bilbonem se uertit.

"primo, aliquanta plura de rebus cognoscere cupiam," ille inquit, sentiens se omnino confusum atque paulum agitatum intrinsecus esse, sed etiamnunc certum in modo Tookis rem ineundi. "id est de auro atque dracone et omnibus rebus, quomodo id illic fuerit atque qui id teneat et cetera et cetera."

"pro fidem!" Thorinus inquit, "nonne tabulam geographicam habes? nonne carmen nostrum audiuisti? nonne omnibus de rebus per horas quasdem dicebamus?"

"nihilominus, uellem omnia esse plana claraque," ille obstinate inquit, morem negotiosum induens (quem conantibus mutuari pecuniam a se reseruare solebat), atque optime faciens ut sapiens et consideratus et peritus esse uideatur atque commendationi Gandalphi satisfaciat. "ultro uellem cognoscere de periculis, impensis e crumina, tempore postulato et remuneratione, et ceteris" – his uerbis signicauit: "quid hoc mihi profuturum? atque uiuus redibo?"

"o sane ita sit," Thorinus inquit. "olim in tempore aui

mei Throris familia nostra, ex ultimis Septentrionibus expulsa, cum diuitiis omnibus atque instrumentis suis, ad hunc Montem in tabula rediit, qui a Thraino Vetere atauo meo inuentus erat, sed nunc cuniculos effoderunt atque aulas ingentiores et officinas maiores fecerunt – etiam multum auri, ut puto, inuenerunt atque multas gemmas praeterea. diuitissimi tamen facti sunt atque clarissimi, et auus meus iterum fuit Rex sub Monte et reuerentissime habebatur ab hominibus mortalibus, qui ad Meridiem uixerunt atque in aduersum Flumen Fluens usque ad uallem Monte obumbratam paulatim se diffundebant. ibi Conuallem, oppidum iucundum, in temporibus illis aedificauerunt. Reges fabros nostros arcessere solebant atque etiam eos, qui longissime ab arte remoti sunt, liberalissime remunerabantur. patres nos precari solebant ut filios in tirocinium addiceremus, et munifice nos remunerati sunt, praecipue in cibariis, qua numquam serere aut repperi pro nobis curauimus. omnino illi fuerunt dies boni nobis, atque pauperrimi apud nos pecuniam ad impendendam atque dandam et otium habuerunt ut res pulchras, *oblectamentis liberorum mirabilissimis magicissimisque omissis, solum pro delectamento facerent, eiusmodi quae in orbe terrarum non iam inueniri possunt. ergo aulae aui armorum et gemmarum et sculptorum et popularum plenae fuerunt, atque forum oblectamentorum liberorum Conuallis fuit miraculum Septentrionum.

“quod, sane, draconem attulit. dracones aurum gemmasque hominibus et dryadibus et nanis subripiunt, ut intellegis, ubicumque eos inuenire possunt; atque spolia sua custodiunt dum uiuunt (uiuunt paene in aeternum, nisi necantur), atque numquam anulo aereo quorum fruuntur. profecto bonum opusculum ab malo uix internoscunt, quamquam plerumque notionem bonam pretii in foro habent; nec quodlibet pro se facere possunt, non etiam squamam paruulam resolutam armorum reparare. illis in diebus multi dracones in Septentrionibus adfuerunt, et ibi, cum nani ad meridiem fugerent aut necarentur et omnis uastitas atque clades draconum a malo in peius iret, aurum probabiliter fiebat rarum. fuit praecipuus auarissimus, fortissimus atque pessimus lumbricus, nomine Smaug. qui, die quodam, in aerem uolauit et ad meridiem uenit. primum sonitum quasi procellam ex Septentrionibus aduenientem atque pinus in Monte crepantes gementesque in uento audiuimus. aliqui nani, qui forte foris fuerunt (ego feliciter unus fui – audacissimus puer illis in diebus, semper erraui, quae res uitam meam illo die seruauit) – itaque, a longinquo draconem in monte nostro insidentem cum flammis prosilientibus uidimus. tum ille per procliuia uenit et cum primum siluam attigit, illa omnino combusta est. illo tempore tintinnabula omnia in Conualle tinniebant atque milites se armabant. nani e porta magna ruebant; sed draco eos exspectabat. ex illa uia nulli effugerunt. flumen in uapore prorupit atque nebula in Conuallem descendit, et

in nebula draco in eos impetum fecit atque paene omnes milites trucidauit – fabula infelix solitaque, quae illis in diebus fuit frequentissima. tum ille regressus in Portam Anticam irrepsit atque atria omnia, et uias, et foramina, angiporta, cellas, aedes et meatus eruit. postea nulli nani intus uiuebant, omnes opes quorum pro ipso rapuit. probabiliter, nam hic est mos draconum, omnia in cumulum altum longe in interioribus partibus aceruauit, in quo pro lecto dormit. serius, e porta magna prorepebat atque noctu ad Conuallem aduenit, ubi homines, uirgines praecipue, ad edendos eripiebat, donec Conuallis perdita est atque populus omnis aut mortuus aut absens fuit. quid ibi agatur nunc pro certo nescio, sed non puto aliquem propius Montem quam extremum Laci Longi hodie habitare.

“pauci nostri qui foris longe afuimus abditi consedimus atque lacrimauimus, et Smaugi maledeximus; ibi inopinanter pater et auus meus cum barbis adustis nos iunxerunt. facies fuerunt toruissimae, sed parum locuti. cum quaesiui quomodo effugissent, linguam continere me iusserunt, dixeruntque me in tempore futuro apto rem intellecturum esse. postea discessimus, atque huc illuc per terras uictum quaeritare coacti sumus quam optime potuimus, persaepe pessum dati ut in officina ferraria laborauissemus aut etiam carbonem fodissemus. numquam autem thesauri erepti obliti sumus. etiamnunc, cum nos pleniores esse nec nobis pecuniam deesse concedo” – hic

Thorinus catenam auream circum collum suum mulsit – “nobis est in animo eum recipere, et maledicta nostra ad Smaugem ferre – si possumus.

“persaepe de fuga patris mei auique admiratus sum. nunc illos necessario habuisse Posticum priuatum, de quo illi cognoscebant soli, intellego. illi autem tabulam geographicam fecisse uidentur, et quomodo Gandalphus eam cepisset, atque quare ea ad me heredem iustum non deuenisset, scire uelim.”

“non eam ‘cepi’, quae mihi data est,” magus inquit. “auus tuus Thror, meministi, in fodinis Moriae ab Azoge Gobelino necatus est.”

“ita, nomini eius maledic,”Thorinus inquit.

“et Thrainus pater tuus die uno et uicesimo Aprilis abhinc centum annos a die Iouis priore discessit, ex quo tu numquam eum uidisti – .”

“sane, sane,”Thorinus inquit.

“itaque, pater tuus eam mihi dedit ut tibi darem; et si tempus meum atque modum meum reddendi eligerim, uix me rephrehendas, deliberans quid mihi molestia fuerit ut te inuenerim. cum chartam mihi dedisset, pater tuus nominis sui oblitus est, atque numquam tuum mihi dixit; ergo, omnibus perpensis, me gratias habere laudarique oportere arbitror! ecce eam,” inquit, tabulam geographicam Thorino tradens.

“non intellego,”Thorinus inquit, et Bilbo sensit fore ut eadem dicere cuperet. explanatio non explanare uisa est.

“auus tuus,” magus tarde toruiterque inquit, “antequam ad fodinam Moriae uenit, tabulam filio custodienti dedit. postquam auus necatus est, pater tuus, ut fortunam cum tabula sequeretur, abscessit atque multa facinora audacia generis molestissimi habuit, sed numquam prope Montem appropinquauit. quomodo ibi aduenerit nescio, sed eum reum in carceribus Necromantici inueni.”

“quidquid illic agebas?” Thorinus horrens rogauit, dum nani ceteri quassant.

“nihil praeter tuum negotium age. res comperiebam, ut soleo; et res fuit foeda periculosaque. etiam ego, Gandalphus, modo effugit. patrem tuum seruare conatus sum, sed serius eram. ille amens erransque fuit atque omnium paene praeter tabulam et clauem oblitus erat.”

“diutissime poenas gobelinis Moriae dedimus,” Thorinus inquit: “nobis de Necromantico cogitandum est.”

“noli esse absurdus! ille est hostis longe ultra uires nanorum omnium una, si illi rursus ab angulis quattuor orbis collecturi sint. pater unam rem solam cupiuit, scilicet filium eius legere tabulam et claue uti. draco atque Mons sunt opera magna, quae magis quam satis tibi sunt!”

“auscultate, auscultate!” Bilbo casu inquit clara uoce loquens.

“cui auscultate?” inquiunt omnes subito se uertentes ad eum, qui adeo perturbatus ut responderet, “illis, quae loqui uolo, auscultate.”

“quae sunt?” rogauerunt.

“mihi liceat dicere uos ad Orientem ire oportere ut circumspiciatis. est tamen Posticum, ac draconibus aliquando dormiendum est, ut puto. si in limine perdiu sedebitis, non nego uos de aliquo cogitaturos esse. praeterea, scitisne, puto nos nocte una diutius locutos esse, si quid dicam intellegitis. quid de cubili ac prima luce profectione ac ceteris rebus? antequam proficiscamini ientaculum bonum uobis dedero.”

“antequam proficisa*mur*, uidelicet dicis,” Thorinus inquit. “nonne effractarius es? estne officium tuum in limine sedere primum, tum ianuam introire praeterea? sed de cubili ientaculoque tecum consentio. sex oua cum perna mea mihi placent cum iter incepi: fricta non elixa, atque caue ne illa frangas.”

postquam ceteri ientacula sua illepide (quae res Bilbonem multum uexauit) elegerunt, omnes surrexerunt. hobbito spatium pro omnibus inuenire necesse fuit, cubicula subsiciua sua impleuit atque cathedras lectulosque ad cubandum strauit antequam omnes depositi sunt et non omnino felix in cubili paruo suo cubitum iit. de una re statuit, se nequaquam prima luce surrecturum nec ientaculum damnatum pro omnibus cocturum esse. mos Tookensis detergebatur, non iam certus fuit se mane iter facturum esse.

dum cubat Thorinum in cubiculo optimo, quod proximum ei fuit, secum mussantem audiuit:

trans Montes Nebulae frigore

dissitos

altas ad latebras et ueteres specus
discedamus abhinc, ante oritur dies,
inuentum auriferas diuitias diu

Bilbo cum illo, quod ei somnia incommodissima dedit, in auribus suis cubitum iit. diu fuit post solis orientem cum e somno excitatus est.

CAPVT SECVNDVM

OVILLA ASSA

Bilbo exsiluit, et amictum cubicularem induens in triclinium introiit. ibi neminem, sed signa omnia ientaculi magni citique, uidit. in conclaui squalor horribilis fuit, in culina acerui fictilium illotorum. paene omnibus ollis patinisque, quas is possedit, usi esse uisi sunt. adeo maeste certae fuerunt res lauandae ut Bilbo conuiuium noctis prioris non fuisse partem somnium malorum credere cogeretur, ut aliquantulum sperauerat. ualde quidem eum delectauit quod illi sine ipso discesserant neque eum excitare conati erant ("sed cum gratiis nullis," cogitauit); nihilominus mirum in modum non potuit sentire quin spes sua paululum falsa sit. de quo sensu admiratus est.

"noli stultus esse, Bilbo Baggins!" secum inquit, "cogitare de draconibus atque omnibus nugis stultis aetate sua!" ergo *succinctorio induto, ignibus accensis, aqua cocta, fictilia eluit. tum in culina ientaculum bonum

paruum edit antequam triclinium mundauit. iam sol lucebat, et ianua aperta auram tepidam uernam admisit. Bilbo, noctis prioris oblitus, sibilis ex ore clare canere coepit. re uera, modo ad ientaculum secundum bonum paruumque edendum prope fenestram apertam considebat, cum Gandalphus introiit.

qui "carissime amice," inquit, "quando *uenturus* es? quid de *prima luce profectione*? – hic es ientans, aut quidcumque hoc appellas, semihora post decem! illi tibi nuntium reliquerunt, quod manere nequiuerunt."

"quid nuntii?" miser Dominus Baggins conturbatus inquit.

"magni elephanti!" Gandalphus inquit, "mane hoc tu non omnino ipse es – numquam tabulam supra focum detersisti!"

"quid id refert? satis mihi fuit fictilia pro quattuordecim eluere!"

"si tu tabulam supra focum deterseris, hoc modo sub horologio inueneris," Gandalphus inquit, epistolium (scriptum, scilicet, in *schida eius) Bilboni dans.

qui haec legit:

> "Thorinus atque Comites Effractario Bilboni salutem plurimam dicunt! pro hospitio tuo gratias maximas, et pro auxilio perito tuo, quod obtulisti, acceptionem nostram gratam. condiciones: nummos re perfecta, quarto decimo tenus sed non ultra omnium lucrorum (si aliqua); omnes sumptus itineris quidcumque euenerit satisdabuntur; sumptus funeris aut a nobis aut uicariis nostris soluentur si, re non aliter composita, occasio exsistet.

"non necesse esse otium tuum disturbare putantes, iam profecti sumus ad res necessarias parandas, atque tuum illustrem ipsum Deuersorii Draconis Viridis, Propeaquam, exspectabimus undecima hora ipsa. credimus te *ad tempus* futurum esse,

"honor nobis est ut maneamus
"tuos amanter,
"Thori Comitesqu

"decem partes sexagesimae horae modo restant. tibi currendum erit," Gandalphus inquit.

"sed –," Bilbo inquit.

"pro eo est tempus nullum," magus inquit.

"sed –," Bilbo iterum inquit.

"pro illo quoque est tempus nullum! abscedas!"

usque ad supremos dies Bilbo numquam meminisse poterat quomodo se, sine petaso, baculo aut pecunia ulla, aut aliquo quod secum auferre solebat, foris esse inueniret; ientaculo secundo semeso atque omnino illoto deserto, clauibus positis in manibus Gandalphi, quam celerrime tam pedes uillosi eum ferre potuerunt, secundum semitam, praeter Pistrinum magnum, trans Aquam, porro milia passuum aut longius cucurrit.

cum Propeaquam undecima hora ipsa aduenisset, ualde anhelans, cognouit se sine *sudario aduenire!

"macte uirtute!" Balinus inquit, qui prope ianuam

deuersorii eum exspectans stabat.

tum ceteri circum angulum uiae e uico uenerunt. in *mannis sedebant, quisque mannus omnia genera impedimentorum, sarcinarum, fasciculorum et apparatum sustinebat. fuit quidem mannus paruulus, qui ad usum Bilbonis esse uisus est.

“ambo conscendite, ut discedamus!”Thorinus inquit.

“me ualde paenitet,” Bilbo inquit, “sed sine petaso ueni, et sudarium meum domi reliqui, et pecuniam nullam habeo. epistolium tuum non accepi quoad decem atque quinque quadraginta, exactum esse.”

“noli exactus esse,” Dwalinus inquit,“et noli se uexare! res tibi gerendae erunt sine sudariis atque multis ceteris rebus antequam ad finem itineris adueneris. pro petaso, cucullum subsiciuum et amiculum in sarcinis meis habeo.”

ita omnes profecti sunt, mane pulchro quodam sub finem Aprilis e deuersorio lente gradientes in mannis oneratis; et Bilbo in cucullo uiridi-opaco (paulum maculato a tempestate) et amiculo uiridi-opaco, a Dwalino mutuatis, uestitus est. qui ei praeter modum magni fuerunt, atque species eius iocosior fuit. quid pater suus Bungo de eo cogitauisset, ego non cogitare audeo. solacium solum habuit, scilicet neminem eum esse nanum credere, nam barbam nullam habuit.

non diu equitauerant cum Gandalphus splendissimus in equo albo aduenit. qui multa sudaria tulerat atque fumisugium tabacumque Bilbonis. post quam rem, manus

iucundissime processit, per totum diem prorsus equitantes aut fabulas narrauerunt aut carmina cantauerunt, praeter, sane, cum ad cenandum substiterunt. non admodum totiens uenit cibum quotiens Bilboni placuerit, sed tamen facinora audacia non tam mala esse sensim sentire incipiebat.

primum per agros-hobbitos ierant, rus latum decensque in quo gens honesta habitabat, cum uiis bonis, deuersoriis aliquibus, et subinde nano aut agricola, qui suum negotium agens leniter gressus est. tum ad terras, in quibus populus inusitate locutus est atque carmina numquam prius a Bilbone audita cantauit, aduenerunt. nunc longe in Desolatas-terras ierunt, ubi incolae nulli manserunt, deuersoria nulla, et uiae sensim peiores fiebant. non longe in fronte colles fuerunt uasti atque deserti, altius et altius surgentes, tenebrosi cum arboribus. in aliquibus quorum fuerunt castra uetera specie mala, quasi ab hominibus scelestis aedificata. omnia esse caliginosa uisa sunt, nam caelum illo die intempestiuum factum est. plerumque tantum bonum fuerat quantum Maius esse potest, etiam in fabulis iucundis, sed nunc frigidum uuidumque fuit. in Desolatis-terris considere, quandocumque potuerunt, coacti erant, quae saltem fuerunt aridae.

“mox Iunium futurum esse miror,” Bilbo aspersus mussauit dum pone ceteros in calle ualde lutoso sequitur. post tempus theae fuit; multum pluuit, per totum diem pluuerat; cucullus eius in oculis destillabat, amiculum eius plenum aquae erat; mannus eius fessus erat atque saxis

offendebat; ceteri tam stomachosi erant ut non loquerentur. “et non dubito quin pluuia in uestes aridas atque saccos cibi ineat,” Bilbo cogitauit. “effracturae atque omnibus de ea re maledic! utinam ego domi essem in foramine grato iuxta focum, cum aeneo cantaturo!” non fuit ultimum tempus in quo id uoluit!

etiam nani, numquam se reuertentes aut hobbitum animaduertentes, lente progressi sunt. nescio quo loco post nubes glaucas sol occidisse uisus est, quod tenebrae, dum in ualle profunda cum flumine in ima eius descendunt, descendere coeperunt. uento orto salices secundum ripas inclinauerunt et suspirauerunt. forte uia trans pontem antiquum saxi transiit, quod flumen, pluuiis inflatum, de collibus atque montibus septentrionibus ruit.

paene nox fuit cum transierunt. uentus nubes glaucas fregit, et luna errans supra colles inter pannos uolantes apparuit. tum substiterunt, et Thorinus aliquem de cena murmurauit, “et ubi locum aridum ad cubitum eundem inueniemus?”

donec illud tempus non animaduerterunt Gandalphum abesse. usque adhuc iter omne cum illis fecerat, numquam dicens utrum in facinore esset an cum illis solum paulisper conuersaretur. maxime ederat, maxime locutus erat, et maxime riserat. nunc autem omnino afuit!

“uero cum maxime magus utilissimus fuerit,” Dorius Noriusque (qui cum hobbito de cibi partibus consenserunt, largis et frequentibus) gemuerunt.

postremo constituerunt hunc locum esse ad castra ponenda ibidem idoneum. ad dumetum arborum se mouerunt, et quamquam sub eis aridior fuit, uentus pluuiam e foliis quassauit, et stillicidium stillicidiumque molestissimum fuit. quoddam maleficium quoque igni inesse uisum est. paene in aliquo loco paene ex aliquo, cum uento aut nullo, nani ignem accendere possunt; quae res tamen ea nocte facere non potuerunt, nec etiam Oinus et Gloinus, qui in ea re peritissimi fuerunt.

tum a nulla re territus, mannus aliquis aufugit. in flumine iit antequam eum capere potuerunt; atque antequam rursus eum efferre potuerunt, Filius et Kilius paene submersi sunt, atque impedimenta omnia, quae ille ferebat, ex illo lauta sunt. sane maxima pars fuit cibus, ita exiguissimus ad cenandum, minus ad ientandum superfuit.

ibi omnes consederunt tristes et madidi mussantesque, dum Oinus et Gloinus, de re iurgantes, ignem accendere conantur. triste Bilbo considerabat facinora audacia non omnino esse equitantes mannis in sole Maii, cum Balinus, qui semper omnia circumspectabat, inquit: “est lux istic!” procul fuit collis cum arboribus, quae in aliquibus locis densiores fuerunt. lucem e globo atro arborum effulgere uidere nunc poterant, lucem subrubram quae grata esse uisa est, tamquam ignis aut falces coruscarent.

cum id diu aspectauissent, inter se iurgauerunt. alii “minime” alii “maxime” inquiunt. alii se uisum ire oportere dixerunt, et aliquid melius esse quam cenam

exiguam, ientaculum minorem, et uestes madidas per totam noctem.

alii inquiunt: “hae regiones sunt prorsum incognitae, et montibus proximiores. uiatores nunc raro hic ueniunt. tabulae geographicae antiquae sunt inutiles: res in peius mutauerunt et uia est incustodita. in his regionibus rex est paene inauditus, et minus percontaris dum iter faciens, minus ueri simile est te molestiam inuenturum esse.” aliqui inquiunt: “sunt tamen quattuordecim nostrum.” aliqui inquiunt: “quo iit Gandalphus?” haec sententia ab omnibus iterata est. tum maxime pluuit peius quam umquam, et Oinus Gloinusque pugnare coeperunt.

quod controuersiam diremit. “nobiscum tamen effractarium habemus,” inquiunt; itaque, mannos ducentes (cum omni cura apta meritaque), ad lucem uersos profecti sunt. ad collem illum aduenerunt et mox in silua fuerunt. collem ascenderunt; sed uia apta, talis esset qualis ad uillam aut fundum tenderet, uideri non fuit; et quidcumque agerent, nihilominus multum stridorum et crepituum stridulorumque (atque maximum mussitationum maledictorumque), per arbores in tenebris summis euntes, fecerunt.

subito lux rubra per truncos arborum non procul in fronte perlucide effulsit.

“nunc est officium effractarii,” Bilbonem significantes inquiunt. “tibi prodeundum est ad lucem comperiendam, quid ea significet, et num omnia omnino tuta sint atque

callida," Thorinus hobbito inquit. "nunc exi atque cito redi, si omnia sit salua. si non, redi si potes! si non potes, bis cane similis *tytoni albae atque semel similis *megascopi, tum quidcumque agere possimus, agemus."

Bilboni exeundum erat, antequam explicare potuit se nec canere etiam semel similem generi aliquo bubonum nec similem uespertilioni uolare posse. utique hobbiti silentes in siluis se mouere possunt, prorsus silentes. illa re superbiunt, et Bilbo magis quam semel fastidiuit illius quod "clamorem totum nanorum" appellauit dum progrediuntur, quamquam puto nec te nec me aliquid in nocte uentosa animaduerturum fuisse, nec etiamsi tota cohors binis pedibus distans transisset. ob Bilbonem ad lucem rubram fastidiose ambulantem non dubito quin etiam mustela hirsutas genas suas non mouisset. ergo, sane, ille usque ad ignem uenit – quod ignis fuit – nullo turbato. haec sunt quae uidit.

tres homines ingentissimi qui apud ignem ingentissimum stipitum fagineorum assidebant. ouillam in ueribus longis ligneis torrebant atque ius e digitis suis lambebant. erat odor palato iucundus. erat quoque ad manum cupa potionis bonae, et ex urceis potabant. illa autem fuerunt *trolla. sane trolla. Bilbo etiam, uita otiosa contempta, id uidere potuit: a uultibus eorum magnis grauibusque, et magnitudinibus eorum, et formis crurum eorum, lingua eorum omissa, quae nihil, omnino nihil urbanitatis habuit.

"heri ouilla, hodie ouilla, et heu, ouilla iterum esse

uidetur cras," unum trollum inquit.

"numquam portionem damnabilem carnis-hominis satis diu habuimus," alium inquit. "de quo in infernis cogitauerit Gulielmus ut nos in has regiones umquam duxisset me superat – et potio paene consumitur praeterea," inquit, fodicans cubitum Gulielmi, qui ex urceo potabat.

Gulielmus suffocatus est. "os tuum claude!" inquit quam primum potuit. "tu non exspectas ut gentes hic in aeternum maneant ut tu atque Bertus eas essetis. inter uos uicum et dimidium edistis ex quo tempore de montibus uenimus. quantum magis uultis? tempus fuit quando dixeritis 'gratias, Rostrum' portionis bonae ouillae causa e ualle sicut quae haec est." crus ouis, quod torrebat, momordit et labella sua in manica detersit.

me paenitet dicere trolla in illo modo se gerere, etiam illa quae singula unum caput solum habuerunt. his omnibus auditis, Bilbonem statim fecisse aliquid oportuit. aut eum tacite redire oportuit ut amicos moneret tres trolla ad manum esse, magnitudine modica, animis foedis, quae nanum tostum aut etiam mannum gustandi satis cupida fuerunt, ad mutationem faciendam; aut eum aliquam effracturam celerem bonamque agere oportuit. princeps quidam clarusque effractrius iam nunc *sinus trollorum furatus sit – id est paene semper plurimi aestimandum, si id facias –, ouillam ipsam e ueribus subriperit, ceruisiam subduxerit, et nequaquam ab illis animaduersus egressus sit. alii callidiores, sed qui minus arte eorum superbiunt,

fortasse pugionem in singula foderint antequam illa id animaduerterint. tum nox iucunde consumpta sit.

haec Bilbo intellegit. qui plurima legerat quae numquam uiderat nec fecerat. trepidissimus fuit, etiam fastidiosus; se centum milia passuum abesse uoluit, nihilominus – nihilominus nescio quo modo non manibus uacuis ad Thorinum et comites statim redire potuit. itaque in umbris stetit haesitauitque. omnium rerum de effractura quas audiuerat, ei uisum est ut cum minima difficultate sinus trollorum furari posset, itaque demum post arborem pone Gulielmum repsit.

Bertus et Tomas ad cupam exierunt. Gulielmus rursus potabat. tum Bilbo, animo a pauore recepto, manum paruum suum in sinu ingenti Gulielmi posuit. in quo fuit *manticula, tanta uasta quanta saccus Bilboni. qui "euge!" cogitauit, ad officium nouum calens dum eam caute extrahebat, "id est initium!"

sane fuit! manticulae trollorum plenae sunt mali, illa ipsa non excepta. quae "heus, quis es tu?" e sinu egrediens stridit; et Gulielmus statim se uertit tum Bilbonem, priusquam ille post arborem se celare potuit, collo cepit.

"hercle, Berte, quod ego cepi aspice!" Gulielmus inquit.

"quid est?" aduenientia inquiunt.

"edepol nescio! quid es tu?"

"Bilbo Baggins, sum effra – hobbitus," miser Bilbo ubique quassans inquit, et mirans quomodo stridores

bubonum faciat priusquam illa eum strangulauerunt.

"effrahobbitus?" paulum admirata inquiunt. trolla sunt tarda intellegendi et aliquid nouum illis ualde suspectauerunt.

"quid effrahobbiti refert de sinu meo, praeterea?" Gulielmus inquit.

"coquisne eos?"Tomas inquit.

"licet tibi conari," Bertus *uericulum tollens inquit.

"ille magis quam bucca non erit," Gulielmus inquit, iam a cena bona satiatus, "non postquam degluptus atque exossatus erit."

"f'tasse sunt plures ei similes circumiacentes, atque crustum faciamus," Bertus inquit. "heus tu, suntne plures generum uestrum in his siluis reptantes, tu foede cunicule parue," inquit, pedes uillosos hobbiti aspiciens; atque digitis pedum eum sustulit et eum quassauit.

"ita est, multi," Bilbo inquit, priusquam meminerat ne amicos suos patefaceret. "minime, nulli, non unus," statim post inquit.

"quid uis?" Bertus inquit, eum capillis nunc recte tenens.

"quid dico," Bilbo anhelans inquit. "et nolite me coquere, quaeso, domini benigni! bonus coquus ipse sum, et coquo melior quam coquor, si intellegitis quod significo. uobis pulchre coquam, uobis ientaculum ualde pulchrum, si modo me non cenabitis.

"misellum salaputium," Gulielmus inquit. qui iam

tantam cenam habuerat quantam tenere potuit; ceruisiam quoque multam potauerat. “misellum salaputium! eum libera!”

“non donec ille dicit quid *multi* et *nulli* significet,” Bertus inquit. “in somno meo ego iugulari nolo! digitos pedum eius in igne tene, donec locutus erit.”

“non id habebo,” Gulielmus inquit.“ego eum cepi, praeterea.”

“tu es stultus pinguisque, Gulielme,” Bertus inquit, “ita dixi ante uesperem hunc.”

“et tu es agrestis!”

“et id a te recipere nolo, Rostrum Huggins,” Bertus ait, oculum eius pugno suo percutiens.

tum turba splendida fuit. modo satis ingenii Bilboni superfuit, cum Bertus eum demisisset, ut e uia pedum eorum rueret, antequam, nomina uerissima propriaque inter se appellantes cum magnis uocibus, quasi canes pugnabant,. mox manibus inter se amplecti paene in ignem se uoluebant calcitrantes pugnis contundentesque, dum Tomas cum ramo ambos uerberat ut illi mentes reciperent – quae res, sane, illos iratiores quam umquam fecit.

quod fuisse oportuit tempus in quo Bilbo egressus est. pedes autem miseri in manu ingenti Berti compressi erant, nec anima reliqua in corpore habuit, et caput reuoluebatur: itaque ibi anhelans paulum ultra orbem ignis paulisper prostratus est.

in media pugna ipsa appropinquauit Balinus. nani

clamores a longe audiuerant et, postquam diu commorati ut Bilbo aut regrederetur aut quasi bubo caneret, singillatim ad lucem tam tacite quam potuerunt reptare coeperunt. simul atque Tomas Balinum uenientem in lucem uidit, ululatum terribilem emisit. nam trolla aspectum ipsum nanorum (incoctorum) ualde oderunt. Bertus et Rostrum statim pugnare destiterunt, et “saccus quidem, Tomas, cito!” inquiunt. priusquam Balinus, qui ubi Bilbo in commotione omni sit cogitabat, quod eueniret sciuerit, saccus supra caput eius fuit, et humi prostratus est.



Trolla

“sunt plures etiam uenientes,” Tomas inquit, “aut ualde erraui. multi et nulli, ita est,” inquit. “nulli effrahobbiti, sed multi nanorum ipsorum, rebus secundis!”

“puto te recte dicere,” Bertus inquit, “e luce egrediamur.”

factum est. cum saccis, quibus ad auferendam ouillam et spolia altera uti sunt, in manibus suis in umbris manserunt. cum nanus omnis aduenisset, ignem, urceos effusos, et ouillam morsam miratus, pop! saccus foedo odore supra caput eius positus est et humi prostratus est. mox Dwalinus iuxta Balinum iacuit, et Filius Kiliusque una, et Dorius ac Norius Oriusque cumulati, et Oinus ac Gloinus ac Bifur ac Bofur Bomburque prope ignem incommode aceruati.

“id eos docebit,” Tomas inquit; nam Bifur Bomburque molestissimi fuerant, et uehementer pugnauerant, sicut nani, cum in angulum coacti essent, pugnare solebant.

denique Thorinus aduenit – nec inscius captus est. in exspectatione mali aduenit, nec sibi crura amicorum uidendo opus fuit ut res non omnino esse bonas sciret. foris in umbris procul stetit, et inquit: “quid est omnis molestia haec? quis comites meos uerberauit?”

“sunt trolla!” Bilbo post arborem inquit. de quo omnino obliti sunt. “in dumetis cum saccis se celant,” inquit.

“o! suntne?” Thorinus inquit, et prorsus ad ignem saluit priusquam in eum insilire potuerunt. ramum ingentem in acumine inflammatum cepit; et Bertus acumen illum in oculo suo recepit antequam oblique se mouere potuit.

quod eum e proelio paulisper posuit. Bilbo optimum, quod facere potuit, fecit. cepit crus Tomae – quam optimum potuit, nam id fuit tantum densum quantum truncus arboris – sed, cum Tomas fauillas in uultum Thorini calcitraret, in summa dumeta aliqua reuoluens iactus est.

propter hoc, Tomas ramum in dentes suos recepit, atque unus quorum e fronte fractus est, quae res eum ululare coacta est, mihi licet te dicere. sed nunc cum maxime Gulielmus a tergo aduenit et saccum supra caput Thorini usque ad digitos pedum eius posuit. itaque pugna finita est. sane nunc in molestia bene fuerunt: omnes in saccis alligati sunt dum tres trolla irata (dua cum adustis et contusionibus, quas in memoria habuerunt) iuxta eos sedent, iurgantia utrum eos lente torreant, an subtiliter consecent et coquant, an in eos singulos sedeant et eos in iure congelato comprimant; dum Bilbo, uestibus atque pelle scissis, in summo dumeto sedet nec se mouere audet metuens ne eum audiant.

---

tum ipsum Gandalphus rediit. nemo autem eum uidit. iam trolla constituerant ut nanos nunc torrerent tum eos serius ederent – hoc fuit consilium Berti, et, postquam inter se iugauerunt, huic omnes assensi sunt.

"torrere eos nunc est res inutilis, quae totam noctem consumat," uox quaedam inquit. Bertus eam esse Gulielmi putauit.

"noli iterum incipere iurgium, Rostrum," inquit,"aut id

totam noctem *consumet*."

"quis iurgat?" Gulielmus inquit, qui putauit Bertum dixisse.

"tu iurgas," Bertus inquit.

"mendax es," Gulielmus inquit; itaque iurgium iterum incepit. postremo constituerunt ut eos subtiliter consecarent et coquerent. itaque ollam magnam nigramque ceperunt, et cultros suos extulerunt.

"coquere eos est res inutilis! nullam aquam habemus, et puteus longe abest, certe," uox quaedam inquit, quam Bertus Gulielmusque putauerunt esse Tomae.

"tace!" inquiunt, "aut rem numquam perficiemus. et tu ipse aquam feras, si magis dicas."

"tace ipse!" Tomas inquit, qui putauit uocem esse Gulielmi. "quis praeter te iurget, cognoscere uelim."

"stultus es!" Gulielmus inquit.

"stultus tu ipse!"Tomas inquit.

itaque iurgium iterum incepit, calidius quam umquam, donec postremo constituerunt ut in saccis singulis sederent et comprimerent, et eos tempore proximo coquerent.

"in quo primum sedeamus?" uox inquit.

"melior erit in ultimo sedere primum," Bertus inquit, oculo cuius Thorinus nocuit. putauit Tomam dicere.

"noli tecum dicere!"Tomas inquit."sed si tu in ultimo sedere uis, in eo sede. quis est ille?"

"unus cum *tibialibus luteis," Bertus inquit.

"gerrae, unus cum tibialibus glaucis," uox quaedam

Gulielmo similis inquit.

“compertum habui ea esse lutea,” Bertus inquit.

“lutea fuit,” Gulielmus inquit.

“quamobrem tu dixisti ea esse glauca?” Bertus inquit.

“numquam dixi. Tomas id dixit.”

“id numquam feci!”Tomas inquit,“tu fecisti.”

“duo contra unum, ita os tuum claude!” Bertus inquit.

“cum quo loqueris?” Gulielmus inquit.

“nunc desiste!” Tomas et Bertus una inquiunt. “nox transit, atque prima lux mature uenit. id faciamus!”

“prima lux uos omnes cape, et uobis lapidescite!” uox Gulielmo similis inquit, quae non fuit. nam nunc cum maxime lux supra collem uenit, et *minurritio in ramis ingens fuit. Gulielmus numquam locutus est, nam in lapidem uersus, dum se demittit, stetit; et Bertus et Tomas aspicientes similes saxis adhaeserunt. hodie adhuc ibi stant, soli, nisi aues in illis assidunt; nam trollis, ut probabiliter scis, eundum est sub terra ante lucem, aut ad materiam montium, ex quibus orti sunt, redeunt, et numquam rursus se mouerunt. id est quod Berto et Tomae et Gulielmo contigerat.

“optime!” Gandalphus inquit e tergo arboris egrediens iuuansque Bilbonem ut ille e uepre descendat. tum Bilbo intellexit uocem fuisse magi quae trolla altercantia iurgantiaque tenuerat donec lux aduenit et finem illorum fecit.

deinde saccos soluerunt et nanos liberauerunt. qui paene

suffocati et ualde irati sunt: quibus non omnino placuit ibi iacere et audire trolla consilia capientia torrendi atque comprimendi atque consecandi eos. quibus opus fuit bis audire narrationem Bilbonis rerum quae ei acciderant antequam satisfacti sunt.

"tempus stultum fuit ad exercendum furantem et subripientem e sinibus," Bombur inquit, "ubi ignem atque cibum cupiuimus!"

"id est certe quod uos ex hominibus istis sine certamine non ceperitis, nihilominus," Gandalphus inquit. "praeterea, nunc tempus amittitis. nonne intellegitis trolla certe habere antrum aut foramen effossum in aliquo loco propinquo ut in eo se e sole celent? in quo nobis aspiciendum est!"

circum quaesiuerunt, et mox uestigia caligarum saxeorum trollorum per arbores educentia inuenerunt. uestigia aduersum collem consecuti sunt, donec ad ianuam magnam saxeam a dumetis celatam in antrum ducentem aduenerunt. sed non eam aperire potuerunt, quamquam omnes eam impulerunt dum Gandalphus incantamenta uaria experitur.

cum fessi iratique fierent, "hac bene utamus?" Bilbo rogauit. "eam humi in quo trolla pugnauerunt inueni." clauem ingentiorem tetendit, quam sine dubio Gulielmus putauerat minimam et secretam esse. haud dubium est quin illa e sinu eius excidisset, felicissime, antequam ille in saxo uersus est.

“di immortales, quare tu de ea non mentionem fecisti ante?” clamauerunt. eam Gandalphus rapuit et ad claustellum applicauit. tum ianua saxea ab una pulsa magna retro uersata omnes introierunt. fuerunt humi ossa et in aere odor foedus; sed multum cibi in pegmata atque humi sparsum apud spolia, omnium generorum ab orbiculis aereis ad ollas nummorum aurorum plenas in angulo stantes, passim profuse iactata. fuerunt quoque multae uestes in muris pendentes – multo paruae trollis, eas uictimarum fuisse me paenitet – inter quas fuerunt aliquot enses generibus, figuris magnitudinibusque uarii. duos praecipue aspexerunt, propter uaginas pulchras eorum atque capulos gemmatos.

Gandalphus et Thorinus singuli unum horum ceperunt; et Bilbo cultrum quemdam in uagina scortea cepit, qui solum cultellus-sinus paruus trollo fuerit, sed tam bonus quam gladius hobbito fuit.

“illi esse laminae bonae uidentur,” magus inquit, illos semi educens et curiose aspiciens. “ab aliquo trollo non factae sunt, nec ab aliquo fabricatore apud homines in his locis et diebus; sed cum runas legerimus, magis de eis cognoscemus.”

“ex odore foedo exeamus!” Filius inquit. ita ollas nummi et tantum cibum quantum aptum ad edendum uisum est, unam cupam ceruisiae quoque, quae etiam repleta, extulerunt. quo tempore ientaculum cupiuerunt, et ualde esurientes, quae e cella penaria trollorum habuerant non

contempserunt. copiae ipsorum ualde exiguae fuerunt. nunc panem et caseum, et abundantiam ceruisiae, et *laridum in fauillis ignis torrendum habuerunt.

postea dormiuerunt, quod nox sua commota erat; et nihil ultra fecerunt donec post meridie. tum mannis illatis ollas auri abstulerunt, quas ualde secreto non longe a uia iuxta flumen sepeliuerunt, supra quas carmina plura incantantes, si forte umquam redierint ut eas reciperent. his factis, omnes iterum conscenderunt et in uia ad Orientem rursus progressi sunt.

"quo isti tu, si quaesam?" Thorinus Gandalpho inquit dum equitant.

"ad prorsum aspiciendum," ille inquit.

"et quod te reuocauit in tempore?"

"rursum aspiciens," ille inquit.

"sane!"Thorinus inquit;"sed clarior esse possis?"

"ut uiam nostram explorarem perrexi. quae mox periculosa difficilisque fiet. praeterea de replendo nostras copias paruas alimentorum sollicitus fui. non procul tamen ieram cum amicis duobus meis Riuendelle obuiam ii."

"ubi est illud?" Bilbo quaesiuit.

"noli interrumpere!" Gandalphus inquit. "paucis diebus iam illic aduenies, secunda fortuna, et omnia de eo inuenies. ut dicebam, duobus ciuibus Elrondis obuiam ii. qui trollis trepidantes festinauerunt. ipsi mihi dixerunt tria istorum e montibus descendisse atque in siluis non longe a uia consedisse: omnibus e regione absterritis hospites

insidiata sunt.

“statim sensi me requiri rursus. in tergo intuens ignem procul uidi, et ad eum appropinquaui. ita nunc intellegis. proximo tempore, quaeso, cautiores esto, aut numquam usquam progrediemur!”

“gratias tibi!”Thorinus inquit.

CAPVT TERTIVM

REQVIES BREVIS

illo die nec cecinerunt nec fabulas narrauerunt, etiamsi caelum factum est tranquilius; nec proximo die, nec postridie. coeperant sentire periculum utrimque non longe abesse. sub stellis castra posuerunt, et equi eorum magis cibi quam ei habuerunt; nam satis graminis fuit, sed non multa in saccis eorum, etiam cum quibus e trollis capta erant. mane quoddam flumen in loco lato uadosoque clamoris saxorum et spumae pleno transierunt. ripa ulterior fuit ardua lubricaque. cum ad summam eam aduenissent, mannos ducentes, montes ingentes appropinquauisse prope se aspexerunt. iam itinere facili unius diei ab imo proximo abesse uisi sunt. qui aspectu ater tenebrosusque fuit, quamquam maculae solis fuluis in lateribus eius fuerunt, et post umeros eius apices cacuminorum-niueorum nitebant.

“estne Mons *Ille*?” Bilbo uoce graui interrogauit, eum

cum oculis rotundis aspiciens. numquam aliquid tanti aspectus ante uiderat.

“minime!” Balinus inquit. “haec est inceptio solum Montium Nebulosorum, et nobis eundum est per aut supra aut subter eos nescio quomodo, priusquam in Vastaterram introeamus ultra. et longinqua est uia etiam ab latere altero quorum ad Montem Solum in Oriente, ubi Smaug in thesauro nostro iacet.”

“o!” Bilbo inquit, et tum maxime sensit se fessiorem esse quam umquam recordatum esse se ante sentisse. de sella molli sua ante ignem in exedra dilecta in foramine-hobbito, atque de canendo aenei rursus cogitabat. id non postremum fecit!

---

nunc Gandalphus eos duxit. qui “non nobis amittenda est uia, aut peribimus,” inquit. “primum nobis opus est cibi *atque* requiescere in salute tolerabili – ualde necesse est quoque Montes Nebulosos a uia idonea suscipere, alioqui apud eos amittemur et uobis redeundum atque ab initio iterum proficiscendum est (siquidem umquam rediretis).”

eum rogauerunt quo eat, et ille respondit: “ad limen ipsum Vastitatis aduenistis, ut aliqui sciatis. celata in aliquo loco ultra est uallis amoena Riuendellis, qua Elrond Domi Familiaris Vltimae habitat. ab amicis nuntium misi, et exspectati sumus.”

quae iucunda grataque esse uisa est, sed illuc non adhuc uenerunt, et inuenire Domum Familiarem Vltimam in

occidente Montium non res tam facilis quam ea esse uidetur. nec arbores nec ualles nec colles adesse uisi sunt, qui terram in fronte interrumperent, unus cliuus ingens solus sursum atque sursum leniter tendens qui imis montis proximi obuiam iret, terra lata colore Callunae uulgaris et saxi friabilis, cum maculis ictibusque graminei-uiridis et muscosi-uiridis, quae locos, in quibus fortasse aqua adesset, patefecerunt.

mane fugit, post meridie uenit, sed per tota deserta tacita fuit nullum signum domicilii alicuius. anxii fiebant, quod nunc domum paene in aliquo loco inter se et montes celari posse perceperunt. ualles inopinatas, tenues cum lateribus praecipitibus, quae sub pedibus eorum repente patuerunt, inuenerunt, et admirantes despexerunt ut arbores subter se atque aquam fluitantem in imo uallis uiderent. fuerunt canales, quos paene transilire potuerunt, sed in quibus deiectus aquae altissimi fuerunt. fuerunt angustiae tenebrosae, quas nec transilire nec in quas descendere potuerunt. fuerunt paludes, nonnullae uirides et amoenae aspectu, cum floribus florescentibus et altis; sed si mannus quidem cum sarcina in dorso ibi ambulet, numquam iterum exeat.

terra uerum fuit multo latior a uado ad montes quam umquam conieceris. Bilbo stupefactus est. uia sola cum lapidibus albis, aliis minimis, aliis cum musco aut Callunis uulgaris semi-tectis, designata est. uiam persequi omnino fuit negotium tardissimum, etiam Gandalpho

ducente, qui iter suum satis bene cognoscere uisus est.

capite atque barba quassante huc illuc lapides quaesiuit, et ceteri eum ducentem secuti sunt, sed die occidente nihilo propiores finem*quaesitionis esse uisi sunt. tempus-theae longe praeterierat, et mox tempus-cenae eodem modo praeteriturum uisum est. blattae circumuolitabant, et lux ualde hebescebat nam luna non orta est. mannus Bilbonis ad radices lapidesque offendebat. tam repente ad marginem decliuis et praecipitis loci aduenerunt ut equus Gandalphi paene de cliuo delaberetur.

"eccillud demum!" ille clamauit, et ceteri illum circumsteterunt super marginem despicientes. uallem longe infra uiderunt. uocem aquae currentis in alueo saxeo in ima audire poterant; odor arborum in aere erat; et erat in latere uallis trans aquam lux.

Bilbo modi in quo secundum uiam praecipitem anfractam in uallem celatam Riuendellis delapsi sunt serpseruntque numquam oblitus est. dum descendunt, aer calidior fiebat, et is ab odore pinuum adeo somnolentus fiebat ut subinde nutaret et paene delaberetur uel nasum suum ad ceruicem manni offenderet. dum deorsum atque deorsum eunt, corda sua surgebant. arbores in fagos quercusque mutabantur, et in crepusculo erat sensus amoenus. uiri ditas ultima e gramine paene palluerat cum tandem ad nemus apertum non procul super ripas fluminis aduenerunt.

"hmmm! est odor dryadum!" Bilbo cogitauit suspiciens stellas, quae clarae atque caeruleae fulgebant. tum carmen simile risui in arboribus erupit:

quid facitis? quo uaditis?
calcandi manni uobis sunt!
tra-la tra-la fluentia
in ima ualle flumina!

quid quaesitis? quem ducitis?
fumantes fasces cocti sunt!
hi-ho hi-ho hi-ho hi-ha
in nostra ualle lepida,
ha! ha!

quo uaditis comantibus
cum barbis nunc quassantibus?
insciti uos, insciti uos,
cur Baggins atque Balinus
descendant nunc et Dwalinus
in uallem Iunio
ha! ha!

o uultis hic resistere,
aut subito discedere?
de caelo deciditque lux
dum manni errant nunc est nox!
sunt stulti fugientes tunc

iucundi qui manentes nunc
et audientes nostros
ad usque mane modos
ha! ha!

sic inter arbores riserunt atque cantauerunt; et omnino nugas, ut puto, tu id fuisse existimas. de quo nequaquam curauerint; multo magis riserint si ita illis dixeris. fuerunt sane dryades. quas mox, tenebris densatis, Bilbo aspexit. qui dryades amauit, quamquam raro illis obuiam iit; sed porro illas paulo timuit. nani erga illas non amici animo sunt. tales etiam nani honesti quales Thorinus et amici aut illas esse stultas existimant (qui est modus stultissimus existimandi) aut illis irascuntur, quod aliquae dryades eos sollicitant ridentque, praecipue barbas eorum.

"ecce!" uox quaedam inquit. "uide Bilbonem hobbitum in manno, carissime, estne iucundissimum!"

tum carmen alterum inceperunt tam ridiculum quam id quod in toto descripsi. postremo unus, procerus iuuenis ex arboribus egressus capite summisso Gandalphum et Thorinum salutauit.

qui "accipio uos in uallem!" inquit.

"gratias ago tibi," Thorinus paulo asperius inquit; sed Gandalphus iam ex equo desiluerat et coram dryadibus iocose loquebatur.

"e uia uestra aliquantum errauistis," dryas inquit: "id est, si iter ad semitam solam trans aquam facitis et domum ultra. uos in uia recta ponemus, sed uobis eundum est

pedibus, donec pontem transistis. manetisne paulisper ut nobiscum cantetis, aut statim pergetis? illic cena coquitur," inquit. "ignes ligneos coquendos olfacere possum."

quamquam fessus fuit, Bilboni paulisper manere placuerit. cantus dryadum non est res praetereunda, in Iunio sub stellis, non si tales re s curas. ei quoque placuerit habere uerba nonnulla priuata cum hac gente, quae nomina eius atque omnia de eo cognoscere uidebatur, etiamsi eam antea non uidit. putauit se a sententiis eorum de facinore audaci delectari. dryades multa sciunt et gens est miranda ad res nuntiandas, et quid apud gentes terrae agatur intellegunt tam cito quam aqua fluit, aut citius.

sed tunc omnes nani, cenae cupidi quam primum, manere recusauerunt. prorsus ierunt omnes, mannos ducentes, donec ad semitam bonam ferebantur itaque demum ad ripam ipsam fluminis. quod cito atque cum strepitu fluebat, sicut flumina montana in uesperi aestiuo agere solebant cum sol per totum diem in niue longe supra adfuit. fuit unus pons solus, angustus saxeusque sine pluteo, tam angustus quam unus mannus transire poterat; trans quem, lente cauteque, singulis eundem est, quisque mannum suum freno ducens. dryades lanternas claras ad ripam tulerant, et dum manus transit, carmen iocosum cantauerunt.

"noli mergere barbam tuam in spuma, pater!" Thorino, qui paene in manibus genibusque flexus est, clamauerunt.

“illa est satis longa sine aquam aspergendo.”

“caue ne Bilbo omnia liba edat!” clamauerunt. “tam pinguis est ut non per *claustella etiam eat!”

“tacite, tacite! Homines Boni! atque ualete!” Gandalphus inquit, qui nouissimus uenit. “sunt uallibus aures, et sunt dryadibus nonnullis linguae nimis iucundae. ualete!”

ita demum omnes Domum Familiarem Vltimam aduenerunt, fores cuius patere inuenerunt.

nunc est res insolita, sed de rebus quae sunt bonae habere atque de diebus qui sunt boni agere celeriter dici possunt, minime audiri, dum res incommodae, palpitantes, etiam crudeles, fabulam bonam fieri possint atque nihilominus diutiores narrari. in domo illa bona diu manserunt, dies quattuordecim minimum, et illis magnum est discedere. in aeternum Bilbo ibi remanserit – etiamsi desiderium quoddam eum, sine molestia, retrorsum ad foramen-hobbitum abstulerit. nihilominus de mora eorum sunt pauca narrari.

dominus domus fuit dryadum-amicus – unus gentis illius patres cuius in fabulis insolitis ante inceptum Historiae apparuerunt, bella gobelinorum malorum et dryadum et hominum primorum in Septentrionibus. illis in diebus nostrae fabulae fuerunt aliqui etiam quorum maiores fuerunt et dryades et heroes Septrionum, atque Elrond dominus domus eorum fuit princeps.

qui tam nobilis et speciosus fuit quam dominus-

dryadum, tam fortis quam bellator, tam callidus quam magus, tam uenerabilis quam rex nanorum, atque tam benignus quam aestas. in fabulis multis apparet, sed pars eius in narratione magni facinoris Bilbonis est parua solum, quamquam magni momenti, ut uidebis, si umquam ad finem aduenerimus. domus eius fuit perfecta, utrum tibi optime placuit cibus, aut somnus, aut labor, aut fabulas narrare, aut cantare, aut solum sedere et cogitare, aut mixtura iucunda omnium eorum. res malae in uallem illam non uenerunt.

utinam mihi tempus sit ut paucas etiam fabularum aut unum aut duo carminorum, quae in domo illa audiuerunt, tibi narrem. omnes, manni quoque, paucis diebus illic requieti fortesque fiebant. uestes eorum reparatae sunt, item contusiones, animi atque spes. sacci eorum cum cibaria et commeatibus, leuibus portandi causa sed fortibus transferendi causa supra transitus montium, impleti sunt. consilia eorum a consilio optimo emendata sunt. itaque tempus ad pridie mediam aestatis aduenit, et iterum eis prima luce mane mediae aestatis proficiscendum est.

Elrond omnia de runis omnium generum intellexit. illa die enses, qui ab latibulo trollorum ablati erant, aspexit atque: “illi non a trollis facti,” inquit, “sunt enses antiqui, enses antiquissimi Dryadum Altarum Occidentis, stirpum mearum. facti sunt in Gondoline bellorum-gobelinorum causa. haud dubium quin illi ex aceruo draconis aut praeda

gobelinorum euenissent, quia saecula multa abhinc dracones atque gobelini oppidum illum deleuerunt. hic, Thorine, a runis Orcristus appellatur, Scissor-gobelinorum in lingua uetere Gondelinis; fuit lamina clara. hic, Gandalphe, fuit Glamdring, Malleus-hostium, quem olim rex Gondelinis gessit. bene eos curate!”

“unde trolla eos acquiserint miror?” Thorinus inquit ensem curiositate noua aspiciens.

“nescio,” Elrond inquit, “sed potest existimare trolla tua praedata esse praedatores alteros, aut reliquias praedationum ueterum in aliquo secreto in montibus inuenisse. audiui thesauros ab antiquis diebus adhuc oblitos in antris desertis fodinarum Moriae inueniri posse, ex eo tempore belli nanorum gobelinorumque.”

haec uerba Thorinus considerauit. “hunc ensem in honorem curabo,” inquit. “mox gobelinos iterum scindat!”

“ueri simile est desiderium illum perbreui tempore in montibus concessum iri!” Elrond inquit. “sed nunc tabulam geographicam tuam mihi exhibe!”

quam cepit et diu aspexit, tum caput quassauit; quod si nanos atque cupiditatem eorum auri non omnino approbat, dracones atque maleuolentiam eorum crudelem odit, et ruinam urbis Conuallis atque tintinnabula eius iucunda atque ripas conflagratas Fluminis Fluentis nitidi meminisse eum miseruit. luna in cornu lato argenteoque lucebat. tabulam sustulit et lux candida per eam luxit. “quid est hoc?” inquit. “hic sunt litterae-lunae, iuxta runas

simplices quae ‘quinque pedes altitudine ianua et in latum tres ambulent’ dicunt.”

“quid sunt litterae-lunae?” hobbitus rogauit, ualde concitatus. tabulas geographicas dilexit, ut antequam tibi dixi; et ei etiam runae et litterae et chirographum callidum placent, quamquam quandocumque ipse scripsit aliquantulum tenue araneosumque fuit.

“litterae-lunae sunt litterae-runae, sed eas uidere non potes,” Elrond inquit, “cum eas directe intueris. quae uideri poterunt solum cum luna post eas luxerit, et porro, de callidioribus generibus lunam oportet et formae et temporis eiusdem esse quam diem in quo scriptae sunt. nani eas reppererunt atque eas cum stilis argenteis scripserunt, sicut amicis tuis licet tibi dicere. non dubium est quin illae pridie mediam aestatis in luna crescente iampridem scriptae essent.”

“quid dicunt?” Gandalphus et Thorinus una rogauerunt, paulo fortasse sollicitati etiam quod Elrond rem primum inueniret, quamquam re uera antequam nulla occasio fuit, nec altera fuerit donec tempus incognitum.

“iuxta lapidem glaucum sta cum turdus pulsat,” legit Elrond, “et sol occidens in luce ultima Diei Durini claustellum illuminabit.”

“Durinus, Durinus!” Thorinus inquit. “fuit pater patrum gentis ueterrimi nanorum, Barbarumlongarum, atque maiorum meorum primus: heres eius sum.”

“tum quid est Dies Durini?” Elrond rogauit.

“prima dies Anni Noui nanorum,” Thorinus inquit, “est, ut omnes scire oportet, prima dies lunae nouissimae Autumni in limine Hiemis. etiamnunc a nobis appellatur Dies Durini, in qua luna nouissima atque sol simul in caelo sunt. uereor autem ne illa res nos non multo iuuet, quod his in diebus supra artem nostram est ut diuinemus quando tale tempus rursus ueniat.”

“id uideri restat,” Gandalphus inquit. “estne magis scripti?”

“nihil qui a hac luna uideri potest,” Elrond inquit, et tabulam Thorino reddidit; tum ad aquam descenderunt ut pridie mediam aestatis dryades saltantes et cantantes uiderent.

mane proximum fuit mane mediae aestatis tam serenum et uiridem quam somniari potest: caelum caeruleum nec umquam umbra quaedam, et sol in aqua saltans. nunc inter carmina eos saluere atque ualere iubentia abequitauerunt, cum animis ad facinora ulteriora praeparatis, et cum scientia uiae, quae sibi sequenda est super Montes Nebulosos ad terram ulteriorem.

CAPVT QVARTVM

SVPER COLLEM ET SVBTER COLLEM

erant multae semitae quae sursum in montes illos tendebant, atque multi transitus super eos. semitae autem pleraeque erant fraudes fallaciaeque et aut ad nullum locum aut ad fines malos tendebant; et transitus plerique rebus malis et periculis periculosis infesti sunt. nani et hobbitus, consilio Elrondis et scientia memoriaque Gandalphi iuuante, uiam rectam ad transitum rectum ceperunt.

longos dies postquam e ualle ascenderunt et Domum Familiarem Vltimam multa milia passuum in tergo reliquerunt, etiam sursum atque sursum ibant. fuit semita dura atque semita periculosa, uia praua atque sola atque longa. nunc retro super terras quae reliquerant diffusas in tergo longe infra uidere poterant. longe, longe distante in


Occidente, ubi res erant caeruleae atque hebetes, ibi Bilbo sciebat terram suam rerum tutarum et commodarum esse, atque paruum foramen-hobbitum suum. horruit. in hac altitudine dure frigescebat, et uentus inter saxa acute uenit. magna saxa, quoque, aliquando de lateribus montium citata descenderunt, a sole meridie in niuem soluta, et inter eos transierunt (quod felix fuit), aut super capita eorum (quod eos perturbauit). noctes erant incommodae atque frigidae, nec aut cantare aut loqui maioribus uocibus ausi sunt, quia imagines fuerunt insolitae, nec silentio frangi placere uisum est – sonitu aquae et stridoris uenti et crepitus saxi excepto.

"aestas in locis inferioribus praeterit," Bilbo secum cogitauit, "et faenisicia geritur et conuiuia sub diuo. frumentum metent et mora carpent antequam nos etiam hac uelocitate latus alterum descendere coeperimus." et ceteri cogitationes pariter tristes secum cogitabant, quamquam cum Elrondem ualere iussissent in spe magna mane mediae aestatis, iucunde locuti erant de transitu montium, et de equitantibus, citatis equis, trans terras ulteriores. de aduentu ad ianuam celatam in Monte Solo cogitauerant, fortasse illa proxima nouissima luna Autumni – "et fortasse erit Dies Durini," dixerant. Gandalphus solus caput suum quassauerat et nihil dixerat. multos annos nani iter illum non fecerant, sed Gandalphus id fecerat, ita quomodo mala et pericula in Vastitate creuissent et floruissent sciuit, cum dracones homines e terris

expulsissent, atque gobelini post proelium Fodinarum Moriae secreto se diffudissent. consilia etiam bona magorum sapientium sicut Gandalphi et amicorum bonorum sicut Elrondis aliquando errant dum in facinoribus periculosis ultra Limen Vastatis abes; et Gandalphus fuit magus satis sapientis ut id sciret.

---

sciuit fore ut nescio quid inopinatum euenire liceret, et uix sperare ausus est se sine facinori terribili montes altos ingentesque, cacuminibus solis atque uallibus in quibus nullus rex regnabat, transituros esse. quod sane non fecerunt. omnia bene fuerunt donec die quodam tempestati cum tonitru obuiam ierunt – magis quam tempestas cum tonitru, proelium-tonitrus. scis quomodo terrifica tempestas ingentissima ima in terra et in ualle fluminis esse possit; praecipue in temporibus in quibus duae tempestates cum tonitru ingentes sibi obuiam eunt atque confligunt. terribiliores etiam sunt tonitrus et fulgur in montibus noctu, ubi tempestates ex Oriente et Occidente adueniunt atque bellum gerunt. fulgur in cacuminibus frangitur, et saxa confringuntur, et fragores ingentes aerem diuidunt tum in antra omnia cauernasque uoluuntur atque caduntur; et tenebrae cum sonitu, qui omnia obruit, atque luce subita plenae sunt.



numquam Bilbo aliquid talis generis aut uiderat aut mente conceperat. fuerunt in sublimi et angusto loco, ad latus unum eorum decliue terribile in uallem hebetem fuit. sub saxo imminenti per noctem tegebantur, et is sub stragula iacuit a capite suo ad digitum horrens. cum inter fulgura fulgentes intueretur, trans uallem uidit gigantes-lapideos exire, qui saxa ludendi causa inter se iaciebant et, illis prehensis atque deiectis in tenebras, illa aut inter arbores longe infra fracta aut in partes paruas crepitu confracta sunt. tum uentus quidam uenit atque imber, et uentus adeo imbrem grandinemque quoquouersus flagellauit ut saxum imminens nequaquam tegimen esset. mox madescebant atque manni capitibus demissis et caudis inter crura stabant, et aliqui terrore hinniebant. gigantes ridentes clamitantesque ubique per tota latera montium audire poterant.

"hoc non prorsum bene facit!" Thorinus inquit, "si nos non deturbati, aut demersi, aut fulmine icti sumus, ab gigante aliquo tollemur atque in caelum pro pila a pedibus calcabimur."

"heus, si aliquem locum, qui melior est, scis, nos illuc duc!" Gandalphus inquit, qui ualde stomachosus fuit et ipse longe a gaudio de gigantibus afuit.

finis dissensionis eorum euenit ut Filium et Kilium mitterent, qui tegimen melius quaererent. illi oculos acutissimos habuerunt, et aetate fuerunt minores nanorum

circiter annis quinquaginta, ut plerumque tales labores illis assignarentur (cum omnes omnino inutilem esse rem uidissent ut Bilbonem mitterent). si aliquid inuenire uultis, uobis inuestigandum est (ita Thorinus nanis iuuenibus dixit). haud dubium quin aliquid inuenires si inuestigares, sed id non semper est omnino illud, quod quaesiuisti. hoc tempore ita accidit.

mox Filio et Kilio reptantibus reuersis, saxa in uento amplectentes, "antrum aridum inuenimus," inquiunt, "quod non longe abest post angulum proximum; et manni et omnes introire poterunt."

"explorauistisne id *diligenter*?" magus inquit, qui sciuit antra in montibus altis raro esse uacua.

"ita! ita!" inquiunt, quamquam omnes sciuerunt eos diu agere id non posse; citius reuersi erant. "non est multo magnum nec longe in tergum pertinet."

quae, sane, est pars de antris periculosa: quatenus in tergum pertineant nescis, aliquando, nec quo meatus in tergo ducat, nec quid te intrinsecus exspectet. nunc autem nuntius Kilii Filiique satis bonus uisus est. ita surrexerunt omnes et se mouere parauerunt. uentus ululabat atque tonitrus fremebat ut et se et mannos prorsum mouere molestum esset. nihilominus iter non longe fuit, et mox ad saxum magnum in semitam protrusum aduenerunt. si pone illud gressus es, arcum humilem in latere montis inuenisti. uixdum satis spatii fuit ut manni, oneribus depositis et clitellis remotis, compressi pertransirent. ut sub arcu

transibant, bonum fuit uentum atque imbrem extrinsecus potius quam circum eos audire, et sentire se a gigantibus et saxis eorum saluos esse. magus autem nihil periclitatus est. uirgam incendit – sicut illo die qui tam multo ante esse uisus est, si tu eum recordaris, in triclinio Bilbonis fecerat – et in luce cuius antrum ab extremo ad extremum explorauerunt.

quod satis magnitudinis esse uisum est, sed non nimis ingentis atque mystici. solum aridum et nonnullos angulos commodos habuit. in extremo uno fuit pro mannis spatium; qui ibi steterunt (mutatione ualde gauisi) uaporantes et in saccis nasi mandentes. Oinus et Gloinus ignem incendere iuxta ianuam uoluerunt ut uestes siccarent, sed Gandalphus id recusauit. ita uestimentis uuidis in solo sparsis, uestimenta arida e sarcinis extulerunt; tum stragulis suis factis commodis, fumisgia extulerunt atque coronas fumi emiserunt, quas Gandalphus in colores diuersos uertit et effecit ut illae saltarent iuxta tectum oblectandi causa. locuti atque locuti sunt, et, tempestatis obliti quod quisque cum parte eius thesauri facere posset agitauerunt (ubi eam receperint, quae res nunc cum maxime non esse tam impossibilis uisa est); itaque singulariter obdormiebant. id fuit tempus ultimum in quo mannis, sarcinis, impedimentis, instrumentis et ceteris rebus, quae secum tulerant, usi sunt.

accidit tamen ut res sit bona quod illi Bilbonem paruulum secum tulissent. nam, nescio quomodo, ille diu non obdormire potuit; cum dormisset, somnia pessima

habuit. somniauit rimam in muro in tergo antri maiorem maioremque factam esse, et latiorem latioremque apertam esse, et se ualde timere sed non posse exclamare aut aliquid facere nisi iacere atque uidere. tum somniauit solum antri inclinare et se labi – decidere coepisse, quo nescire.

tum cum maxime horrifice horrens experrectus, inuenit partem somnii ueram esse. rima in tergo antri aperta erat, et iam meatus latus fuit. in tempore fuit ut nouissimam caudarum mannorum in illam dilabi uideret. sane maxima uoce ululauit, tam magnum ululatum quam hobbitus dare potest, qui pro proceritate eorum est mirandus.

exsiluerunt gobelini, gobelini ingentes, magni gobelini specie foeda, multi gobelini, antequam *saxa et stipites* dicere potuisti. erant sex in quemque nanum, minime, etiam duo in Bilbonem; omnes prehensi sunt atque per rimam lati sunt, antequam *fomes et silex* dicere potuisti, Gandalpho excepto. ululatus Bilbonis adeo proderat, qui in puncto temporis fracto illum omnino excitauisset, et cum gobelini uenissent, ut illum prehenderent, fuit fulgor terrificus quasi fulgur in antro, odor quasi *puluis bombardica, et nonnulli mortui ceciderunt.

rima crepitu clausa est, in latere cuius Bilbo nanique alieno fuerunt! ubi fuit Gandalphus? de ea re et illi et gobelini nesciuerunt, nec gobelini ad eam cognoscendam manserunt. Bilbonem nanosque raptos abripuerunt. tenebrae fuerunt tales altae quales gobelini, qui in imis

montium habitabant, soli perspicere potuerunt. meatus fuerunt quoquouersus praui implicatique, sed gobelini rectam uiam sciebant, tam bene quam uiam ad proximum [*]officium tabellarii scis; atque uia deorsum et deorsum descendit, et ualde iners fuit aer. gobelini fuerunt durissimi, et immisericorditer uellicauerunt, et cachinnauerunt atque uocibus saxeis horribilibus riserunt; et Bilbo etiam miserior fuit quam tempus in quo trollum e digitis pedum eius eum sustulerat. iterum atque iterum foramen-hobbitum amoenum clarumque uoluit. non postremum id uoluit.

nunc ante eos fulgor lucis rubrae apparuit. gobelini cantare, uel potius coaxare, coeperunt, tempus cum alapa pedum planorum in saxo plangentes atque etiam captiuos suos quassantes.

plaude! frange! rima atra!
rape, fuge! et furare!
ita ad orcorum castra
nunc descende, mi amice!

crepa! strepa! fracta pressa!
et include et contunde!
pulsa, pulsa longe infra!
ho-hi, ho-hi! mi amice!

uerberate, flagellate!
percutite et ferite!

laborate, nec cessate!
orci potent et cachinnent
circum, circum longe infra,
longe infra, mi amice!

sonitum ualde terrificum produxerunt. muri cum *plaude! frange!* et *crepa! strepa!* et cachinnatione foeda de *ho-hi, ho-hi! mi amice!* resonauerunt. significatio generalis carminis fuit satis clara; nam nunc gobelini flagella extulerunt et cum *uerberate, flagellate!* eos flagellauerunt, et currere quam celerrime potuerunt in fronte coegerunt; et cum in cauernam ingentem inciderent nonnulli nani iam clamitabant balabantque.

illa ab igne magno rubro in media illuminabatur, atque a facibus secundum muros, et gobelinorum plena fuit. omnes quorum, cum nani (Bilbone misello in tergo, ad flagella proximo) incurrerent, riserunt et humum pedibus pulsauerunt et manibus plauserunt, dum gobelini-agitatores ululant atque a tergo flagellis insonant. manni iam ibi fuerunt, in angulo conferti; et omnes sarcinae impedimentaque iacebant effracta perscrutantibus et olfacientibus et tangentibus et rixantibus gobelinis.

uereor ne id fuisset ultimum tempus in quo illos mannos paruulos optimosque umquam uiderunt, haud excepto iucundo paruulo ualido albo manno, quem Elrond Gandalpho commodauerat quia equus eius in semitis montium inutilis fuit. nam gobelini equos et mannos et asinos (atque multa terribiliora) edunt, et semper esuriunt.

nunc tamen captiui de ipsis solum cogitabant. gobelini eos, manibus catenatis post terga eorum, in linea iugauerunt, et ad extremum cauernae, Bilbone paruulo in fine ordinis nitenti, traxerunt.

ibi in umbris in magno saxo plano gobelinus tremendus capite ingenti sedebat, cinctus a gobelinis armatis, qui secures atque enses flexos ferebant, quibus uti solebant. gobelini autem sunt crudeles, malefici, atque cordibus malis. res pulchras fecerunt nullas, sed multas callidas. cuniculos et fodinas fodere tam bene quam aliqui nani praeter callidissimos possunt, cum illa facere curant, quamquam sordida immundaque esse solent. malleos, secures, enses, pugiones, dolabras, forcipes, instrumenta quoque tormenti optime fecerunt uel alteros cogunt qui illa fecerint, captiuos atque seruos quibus laborandum est donec aere luceque carentes moriuntur. ueri simile est eos repperisse nonnullas machinas, quae ex quo tempore orbem terrarum uexauerunt, praecipue artificia callida ad multos homines simul interficiendos, nam in rotis et machinis et crepitibus gauisi sunt, et etiam laborare manibus suis magis quam uoluerint non sibi placet; sed illis in diebus et regionibus uastis non tantos processus (ita id dictum est) effecerant. nanos non praesertim oderunt, non magis quam omnes omniaque, praecipue modestos et prosperos, oderunt; in aliquibus regionibus nani mali etiam cum illis societatem fecerant. qui autem, propter bellum, de quo mentionem audiuisti sed quod non

in hanc fabulam uenit, populo Thorini inuiderunt; nihilominus quem capiunt gobelini non curant, dummodo res est callida et secreta, atque captiui se defendere non possunt.

“qui sunt isti miselli homines?” Gobelinus Magnus inquit.

“nani sunt, et iste!” unus agitator inquit, catenam Bilbonis trahens ut ille in genua decidat. “eos inuenimus tegimen petentes in Vestibulo Antico nostro.”

“quid uis?” Gobelinus Magnus inquit se ad Thorinum uertens. “puto uos facere mala! consilium priuatum gentis meae speculari opinor! non mirabor discere quod fures estis! ueri simile est uos homicidas et dryadum amicos esse! ueni! quid dicis tu?”

“Thorinus nanus, tibi seruio!” ille respondit – quae solummodo nugae urbanae fuerunt. “de rebus quas suspicaris et fingis omnino ignorauimus. tegimen a tempestate petiuimus in antro, quod commodum atque uacuum esse uisum est; nihil ulterius a cogitationibus nostris fuit quam quocumque modo gobelinis incommodare.” id uerum satis fuit!

“hem!” Gobelinus Magnus inquit. “ita dicis! mihi liceat rogare quid tamen super montes egeritis, et unde ueneritis, et quo ieritis? re uera, mihi placeat cognoscere omnia de uobis. id tibi non multo proderit, Thorine Scutumquerceum, de gente tua satis multa iam cognosco; sed ueritatem mihi da, uel aliquid incommodissimum tibi

praeparabo!”

“iter faciebamus ut cognatos inuiseremus, filios filiasque fratrum, et primos, secundos tertiosque consobrinos, atque ceteras progenies auorum nostrorum, qui in Oriente latere montium ualde hospitalium habitant,” Thorinus inquit, nonnihil nesciens simul in puncto temporis quae dicat, cum ueritas ad rem nequaquam sufficat.

“mendax est, O tremendissime!” unus agitator inquit. “cum animalia ista inuitauissemus ut descenderent, nonnulli gentis nostrae a fulgure percussi sunt in antro; sicut saxa mortui sunt. praeterea, is illum non explicauit!” ensem, quem Thorinus induerat, porrexit, ensem ipsum, qui e latibulo trollorum euenerat.

Gobelinus Magnus, cum primum eum uidit, uoce iratissima ululauit et omnes milites eius dentibus frenduerunt, scuta concrepauerunt, atque humum pedibus pulsauerunt. statim ensem recognouerunt. qui multos gobelinos trucidauerat in tempore suo, quo dryades candidae Gondolinis eos in collibus uenatae erant uel cum eis ante muros eorum pugnauerant. a quibus Orcristus appellatus erat, Scissor-gobelinorum, sed a gobelinis simpliciter Mordax appellatus est. illum oderant atque aliquem, qui illum ferebat, peius oderant.

“homicidae et amici-dryadum!” Gobelinus Magnus clamauit. “eos consecate! uerberate! mordete! frendite! ad foramina atra anguium plena auferte, numquam lucem

iterum uideant!” adeo iratus fuit ut e sede exsiliret atque ipse cum hiatu oris impetum in Thorinum faceret.

nunc cum maxime omnibus lucibus in cauerna exstinctis, ignis ingens *poof*! in turre fumi caerulei fulgentis explosus est, usque ad tectum, quae scintillas albas acutas ubique inter gobelinos sparsit.

ululatus atque ululata, coaxantes, clamores atque clamata, fremitus atque maledicta, eiulatus atque eiulationes, qui consecuti sunt, in nullo modo describi possunt. multi centum feles ferae et lupi una lente uiui coquentes non cum illis comparuerunt. scintillae foramina in gobelinis inurebant, et fumus, qui nunc de tecto decidebat, tam densem faciebat aerem ut etiam oculi eorum non per eum uidere possent. mox alii super alios occidebant et mordentes atque calcitrantes atque pugnantes in cumulis uersabantur, quasi omnes insani facti sint.

subito ensis quidam in luce sua fulsit. Bilbo uidit eum per Gobelinum Magnum stupefactum in media eius ira pertransire. illo mortuo, gobelini milites ante ensem in tenebras eiulantes terga uerterunt.

ense in uagina recondito, “me sequimini statim!” uox ferox atque placida inquit; et antequam Bilbo quid accidisset sciuit iterum in fine lineae festinabat quam citius festinare potuit, secundum meatus tenebrosos plures, dum ululatus gobelinorum in tergo hebescent. lux pallida eos prorsum ducebat.

“citius, citius!” uox inquit. “mox faces suscitabuntur.”

“dimidium momentum, quaeso!” Dorius inquit, qui ad tergum iuxta Bilbonem fuit, uir honestus, qui illum, quam optime cum manibus uinctis potuit, scandere in umeros suos coegit, et tum cursu progressi sunt, catenis tinnientibus, atque multis offensionibus, quod manus habuerunt ad se erigendos nullas. diu non constiterunt, et illo tempore haud dubium fuit quin ad imum cor ipsum montis descendissent.

tum Gandalphus uirgam incendit. sane Gandalphus fuit; sed tum cum maxime nimis occupati fuerunt ut rogarent quomodo illuc adueniret. ensem iterum eduxit, qui iterum luce sua in tenebris fulsit. adeo cum ira arsit ut quandocumque gobelini aderant niteret; nunc tam nitens quam flamma caerulea fuit propter gaudium in interficiendo magni domini antri. cui nequaquam molestum fuit quam celerrime per catenas-gobelinorum secare et omnes captiuos liberare. nomen ensi fuit Glamdring Malleus-hostium, si recordaris. a gobelinis Verberator appellatus est, quem magis quam Mordacem, si possibile est, oderant. Orcristus etiam seruatus est; nam Gandalphus eum raptum e custode quodam pauescente etiam tulit. de pluribus rebus Gandalphus cogitauit; et quamquam omnia facere non potuit, pro amicis in angulo stricto multa facere potuit.

“adsumusne omnes?” ille inquit, capite summisso ensem eius Thorino tradens. “uideam: unum – qui est Thorinus; duo, tres, quattuor, quinque, sex, septem, octo, nouem,

decem, undecim: ubi sunt Filius et Kilius? hic sunt! duodecim, tredecim – atque hic est Dominus Baggins: quattuordecim! ita, ita! res peior esse possit sed autem multo melior esse possit. nulli manni, nullus cibus, et ubi etiam simus nescientes, et copiae gobelinorum iratorum proxime in tergo! prorsum ueniamus!"

prorsum uenerunt. rectissime dixit Gandalphus: longe in tergo in aditibus, per quos uenerant, sonitus gobelinorum atque clamores horribiles audire coeperunt. ergo citius quam umquam perrexerunt, et quod miser Bilbo ire cum dimidia celeritate ceterorum nequaquam potuit – nam nani cursu tremendo currere possunt, mihi licet tibi dicere, quandocumque eis opus est – eum in tergis suis inuicem sustulerunt.

nihilominus gobelini citius quam nani currunt, et hi gobelini uiam melius cognouerunt (nam semitas fecerant ipsi), et ualde irati fuerunt; ut omnibus rebus actis nani etiam clamores atque ululatus propiores propioresque appropinquantes audire possent. mox etiam alapam pedum gobelinorum audire potuerunt, multorum pedum, qui solum pone angulum nouissimum esse uisi sunt. nictatio facum rubrarum pone eos in cuniculo, quem sequebantur, uideri potuit; et letaliter defatigabant.

"quare, o quare foramen-hobbitum umquam reliqui?" miser Dominus Baggins inquit, sursum deorsum in tergo Bomburis offendens.

"quare, o quare hobbitum miserabilem ad uenationem

thesauri umquam attuli!" miser Bombur inquit, qui pinguis fuit, et sudore manente ex aestu atque terrore de nare prorsum uacillabat.

quo tempore Gandalphus pedem rettulit, Thorino comitante. angulum acutum circumuecti. "retro uerte!" clamauit. "ensem educe, Thorine!"

nec quicquam aliud agi potuit; quod gobelinis non placuit. festinantes magnis uocibus clamitantes circum angulum uenerunt, et Scissorem-gobelinorum et Malleum-hostium frigidos atque claros nitentes in oculis suis statim inuenerunt. illi, qui in primo agmine fuerunt, semel clamauerunt antequam trucidabantur. illi, qui in tergo fuerunt, etiam magis clamauerunt et retrorsus saliebant, prosternentes illos, qui post ipsos currebant. "Mordax et Verberator!" ululauerunt; et mox omnes commouebantur, atque plurimi retro ad uiam, qua aduenerunt, pellebantur.

diutius erat ante quam quiuis angulum illum circumuehi ausus est. quo tempore iterum nani progressi erant, longe, longe in cuniculos atros regni gobelinorum. cum gobelini id cognouissent, facibus exstinctis et calceis mollibus indutis, cursores celerrimos cum auribus oculisque acutissimis elegerunt. qui, tam ueloces quam mustelae in tenebris, et uix cum magis sonitu quam uespertilliones, procurrerunt.

quamobrem nec Bilbo, nec nani, nec etiam Gandalphus eos, qui adue niebant, audiuerunt. nec eos uiderunt. sed a gobelinis uidebantur, qui tacite in tergum cucurrerunt, nam

Gandalphus ad nanos progredientes iuuandos uirgam cum luce hebete illuminabat.

subito Dorius, qui nunc in tergo Bilbonem ferens erat, a tergo in tenebris capiebatur. clamauit atque decidit; et hobbitus ex umeris in caliginem uolutus, caput in saxum durum offendit atque nullum ulterius meminerat.

CAPVT QVINTVM

AENIGMATA IN TENEBRIS

cum Bilbo oculos aperuisset, num id egisset miratus est; nam res ipsae tam tenebrosae quam illis clausis fuerunt. nemo prope eum uspiam adfuit. modo metum eius concipias! nulla audire, nulla uidere, et nulla praeter solum saxeum sentire potuit.

lentissime surrexit et quadrupes circum explorauit donec murum cuniculi tetigit; sed neque sursum neque deorsum aliqua inuenire potuit; omnino nulla, nullum signum gobelinorum, nullum signum nanorum. capite uersato nequaquam certus est etiam qua progressi essent cum decidisset. quam optime potuit rem coniecit, et prorsum longe reptauit, donec subito manus sua cuidam, quem similem anulo paruulo metalli frigidi esse sensit, iacenti in solo cuniculi obuiam iit. quae res fuit cardo in officio eius, sed ille id nesciuit. uix sine cogitatione anulum, qui certe tempore ipso in nullo modo utilis esse

uisus est, in sinum posuit. multo ulterius non iit, sed in solo frigido consedit atque diu se miseriae omnino dedit. de se laridum et oua in culina sua domi frigenti cogitauit – nam intus sensit tempus cenandi nescio quo modo esse maturum, quae res effecit ut ille miserabilior fieret.

nec quid acturum esset nec quid egisset cogitare non potuit; nec quamobrem is relictus esset; nec quare, si relictus esset, gobelini eum non cepissent, nec etiam quare talis dolor capitis haberet. re uera in angulo tenebricosissimo, ex aspectu atque e mente, tacite diu iacuerat.

post tempus nonnullum fumisugium temptauit. quod non est fractum, quod aliquantum bonum fuit. tum saccum temptauit, in quo aliquantum tabaci fuit, quod aliquantum melius fuit. tum *fila sulphurata temptauit, sed nulla inuenire potuit, quod spes eius omnino fregit. quae res sibi bona fuit, ut, cum mentis suae esset, assentatus est. nam nemo scit quae ab inflammando filorum sulphuratorum atque ab odore tabaci e foraminibus atris in isto loco horribili elata sint. nihilominus illo tempore se ualde opprimi sensit. sed dum omnes sinus uerberat atque circum ipsum fila sulphurata temptat, manus sua capulum parui ensis inuenit – parui pugionis, quem e trollis cepit, et cuius omnino oblitus est; qui fortunate, a gobelinis non aspectus erat, quia eum intra bracas induit.

nunc eum eduxit. qui ante oculos eius pallidus atque hebes fulsit. “ita item lamina dryadum est,” cogitauit; “et

gobelini non multum adsunt, tamen non satis longe absunt."

sed nescio quo modo se consolatus est. induere laminam factam in Gondeline propter bella-gobelinorum, de quibus multa carmina cantauerant, fuit res splendidior; et quoque talia arma ualde commouere gobelinos, qui illis subito superuenerunt, animaduerterat.

"retrorsum eam?" cogitauit. "nequaquam bonum est! in aduersum eam? impossibile! prorsum eam? res sola, quam faciam! progrediamur!" ita surrexit, et paruo ense in fronte porrecto et manu una murum temptante et corde omnino crepitante salienteque progressus est.

---

haud dubium est quin Bilbo in loco, qui appellatur angustus, fuerit. tibi autem recordandum est quod locus non tam angustus esset quam mihi uel tibi fuerit. hobbiti non admodum hominibus uulgaribus similes sunt; et tamen, quamquam foramina sua sunt loci boni conuiuales qui auras commode admittunt, nihilominus magis quam nos cuniculos facere solent, et sub terra sensum suum cursus non facile amittunt – nec postquam capita sua ex offensa conualuerunt. et tacitissimi mouere possunt, et facile se celant, et e lapsibus contusionibusque mirifice conualescunt, et thesaurum sapientiae atque dictionum sapientum, quas homines plerumque aut numquam audiuerunt aut quarum iamdudum obliti sunt, habent.

nihilominus, esse in loco Domini Bagginsis non mihi placuerit. cuniculus finem nullum habere uisus est. ille

solum intellexit eum etiam constantius descendere cursu eodem, cum flexibus atque uersuris nonnullis exceptis. subinde meatus fuerunt, qui in latus educti sunt, quos aut a fulgore ensis ille cognouit aut cum manu in muro sensit. quos non animaduertit, nisi celeriter praeteriit metuens ne gobelini aut atra semi-ficta ex illis egrederentur. porro atque porro iit, deorsum et deorsum; et etiam nihil audiuit praeter aliquando stridorem uespertilionis cuiusdam iuxta aures suas, qui primo eum terruit donec quo frequentius facti sunt eo minus illos animaduertit. quantum tempus in modo illo perseueraret nescio, cum odio progrediendi, nec cum audacia consistendi, porro, porro, donec fessior quam fessus fuit. usque ad cras et ultra ad dies ulteriores esse uisum est.

subito sine ulla monitione in aquam cum aspergine gressus est! eheu! gelida fuit, quae eum statim subitoque retardauit. utrum solum stagnum in semita esset an ripa fluminis sub terra, quod aditum transibat, an limen lacus profundi atri subterranei nesciuit. ensis uix fulsit. ille constitit et, auscultans quam maxime potuit, stillas e tecto inuiso in aquam deorsum stillantes audire potuit; sed nullum genus alterum sonitus esse uisum est.

“ita aut stagnum aut lacus est, neque flumen subterraneum,” ille cogitauit. nihilominus in aquas tenebrosas egredi non ausus est. non nare potuit; et quoque de malis mucosis cum oculis ingentibus tumidis caecis, quae in aqua serpserunt, cogitauit. sunt mira quae in

stagnis atque lacibus imis in montibus uiuunt: pisces quorum patres introrsum nauerant, quantos annos abhinc nemo scit, neque retrorsum iterum nauerunt, dum oculi, qui in caligine uidere conantur, grandiores atque grandiores atque grandiores increscunt; sed sunt altera mucosiora quam pisces. sunt altera etiam in cuniculis atque antris factis a gobelinis ad usum suum, quae ex externis in interiorem correpserunt ut in tenebris iacerent, et quae uiuunt illis incognita. nonnulla antra etiam in initiis suis ad saecula ante gobelinos redeunt, qui solum ea dilatauerunt atque inter se cum aditibus iunxerunt, et possessores pristini etiam ibi sunt, in angulis subsiciuis, se subducentes atque circum olfactantes.

hic in profundo iuxta aquam atram uetus Gollum, paruum mucosum animal, uiuebat. unde ueniret nescio, nec quis aut quod esset. Gollum fuit – tam tenebrosum quam tenebrae, oculis magnis rotundis pallidis in facie eius tenui exceptis. paruam scapham habuit, atque satis tacitus circum in lacu remigabat; nam lacus fuit, latus et profundus et letaliter frigidus. pedibus magnis super latus eius pendentibus scapham impulit, neque umquam ab eo aqua fluctuata est. non ab eo. ex oculis pallidis, lucernis similibus, pisces caecos petebat, quos cum digitis longis tam celer quam cogitans cepit. caro quoque ei placuit. putauit Gobelinum esse bonum, quandocumque eum acquirere potuit; sed cauit ne illi ipsum umquam inuenirent. a tergo aliquem, qui umquam solus limini

aquae propinquauit dum is circum praedatur, strangulauit. raro propinquauerunt gobelini, nam senserunt aliquid foedum latere in profundo, in radicibus ipsis montis. lacum inuenerant, dum diu deorsum defodiunt, et se non ulterius procedere intellexerunt; ita ibi uia finita est in ea parte, nec quisqam in animo habuit iter facere eo – nisi Gobelinus Magnus eum miserat. qui aliquando pisces ex lacu desiderauit, et aliquando nec gobelinus nec piscis reuenit.

re uera Gollum in insula mucosa saxea in medio lacu habitabat. nunc Bilbonem oculis pallidis [*]perspicillis similibus procul intuebatur. quem Bilbo uidere non poterat, sed qui de Bilbone ualde mirabatur, nam eum nequaquam esse gobelinum uidere poterat.

Gollum scapham conscendit atque ex insula uolauit, dum Bilbo omnino commotus in fine et itineris et ingeniorum in ripa sedet. repente Gollum aduenit et susurrauit et sibilauit:

“di nos ament et mihi aquam aspergant, mi pretiossse! puto id esse dapem exquisitam; saltem gustulum id futurum esse nobis, gollum!” et cum *gollum* dixisset, in gula sonitum haustus foedi produxit. id est quomodo nomen suum acquisiuit, quamquam semper se appellabat “mi pretiose”.

cum sibilum in aures uenisset, et subito oculos pallidos ad ipsum eminentes uidisset, hobbitus paene e pellicula sua saluit.

“quis es tu?” inq uit, pugionem ante ipsum trudens.

“quid esst ille, mi pretiossse?” Gollum susurrauit (qui semper sibi dixit quod nemo alius umquam adest cui dicere potest). ad quod quaerendum aduenerat, nam hoc tempore non ualde esuriens erat solum curiosus; alioquin primum comprehenderit et postea susurrauerit.

“sum Dominus Bilbo Baggins. et nanos amisi et magum amisi neque ubi sim scio neque scire uolo, dummodo effugiam.”

“quid habet in manibuss?” Gollum inquit, ensem aspiciens, qui non ei placet.

“ensis quidam, ensis qui e Gondoline egressus est!”

“ssss” Gollum inquit, qui comior factus est. “f’rtasse hic sedebimus atque cum eo loquemur paulisper-y, mi pretiossse. placentne ei aenigmata, f’rtasse placent, placentne?” anxius fuit ut amicus uideretur, saltem hoc tempore et donec plura de ense atque hobbito inueniret, num ille omnino solus esset, num bonum edi esset, et num Gollum profecto esuriret. aenigmata fuerunt sola de quibus cogitare potuit. quae rogare et, aliquando, conicere fuerat ludus solus, quem ille cum alteris inusitatis animalibus in foraminibus sedentibus in temporibus multo, multo ante luserat, antequam, amicis omnibus amissis, solus abactus est et deorsum in caliginem sub montibus repsit.

“bene est,” Bilbo inquit, qui anxius fuit ut cum illo consentiret, donec plura de animale inueniret, num ille omnino solus esset, num ferox aut esuriens esset, et num

amicus gobelinorum esset.

"tu primum roga," inquit, quod nullum tempus habuit ut aenigma cogitaret.

itaque Gollum sibilauit:

quid tenet inuisas radices, arbore maius.
altius, altius it, crescere non licitum?

"facile!" Bilbo inquit. "mons, ut puto."

"conicitne facile? illi cum nobis certamen ineundum est, mi pretiossse! si pretiosus id rogabit et id non respondebit, id edemus, mi pretiossse. si id nos rogabit, et nos non respondebimus, tum quid id uelit faciemus, eh? uiam ad exteriorem ei monstrabimus, ita!"

"sane!" Bilbo inquit, qui non dissentire ausus paene cerebrum rumpebat dum de aenigmatibus, quae ne comessetur impedirent, cogitat.

sunt qui post mandunt feriunt quam sistere possint:
triginta equi albi colle rubro maneant.

id fuit solum quod ad rogandum cogitare potuit – de cibum edendo aliquantulum cogitabat. id fuit etiam antiquius, et Gollum responsum tam bene quam tu sciuit.

"castaneae, castaneae," sibilauit."dentes! dentes! mi pretiossse; sed sex solum habemus!" tum secundum rogauit:

uoce carens clamat, uolitat nihilominus alis,
dente carens facie, mordet item strepitat.

"dimidi um momentum!" Bilbo clamauit, qui etiam de cenando incommode cogitabat. feliciter, olim aliquid similius audiuerat, et acumine ingenii redito responsum cogitauit. "uentus, sane uentus," inquit, et adeo laetus fuit ut statim unum fingeret. "foedum paruum animal ab hoc confundetur," putauit:

lumina caerulea facie cum lumina uidit
in uiride aspectu, primus ocellus ait:
"hic similis illo, disiunctus quisque habitabat
in spatiis imis, aetheriisque locis."

"ss, ss, ss," Gollum inquit. diu, diu sub terra habitauerat, ut talium rerum obliuisceretur. sed cum primum Bilbo sperabat fore ut perditus respondere non

posset, Gollum memorias saeculorum saeculorumque ante, in quibus cum auia sua in foramine in ripa iuxta flumen habitauerat, extulit. “sss, sss, mi pretiossse,” inquit. “sol in belles perennes, id significat.”

sed talia usitata super terram quotidiana aenigmata eum fatigauerunt. etiam eum monuerunt dierum in quibus minus solus et furtiuus et malus fuerat, ut iracundus fieret. praeterea, illa effecerunt ut esuriret; ita hoc tempore aliquid difficilius atque scelestius conatus est:

nec uidear neque nemine sentiar audiar umquam,
post stellas iaceo, repleoque foramina semper,
aduenio primum, sequor, et tum gaudia caedo.

Gollum fuit infelix, nam Bilbo tales res antea audiuerat; et praeterea responsum eum circumstabat. “tenebrae!” inquit, nec etiam caput scabens nec pileum cogitantem induens.

est sine cardinibus, sine tecto, clauibus arca:
thesaurus sed iam celatur et aureus intus.

rogauit, ut tempus acquireret donec difficillimum

quiddam cogitaret. putauit id esse castaneam facillimam, quamquam id cum uerbis solitis non rogauerat. quod autem Gollo euenit ut quaestio esset difficillima. secum sibilauit, etiam non respondit; susurrauit atque balbutiuit.

post tempus nonnullum Bilbo fiebat impatiens. “itaque, quid est?” inquit. “responsum non est aeneum feruens, ut tu clamosus cogitare uideris.”

“opportunitatem nobis da; det nobis opportunitatem, mi pretioss – ss – sse.”

sed subito Gollum meminerat se iampridem furatum esse nidos, atque se sub ripa fluminis sedisse, auiam suam docuisse, auiam suam docuisse ut illa sugeret – “ouaa!” sibilauit. id est ouaa!” tum rogauit:

cum nullis animis uiuit, tam frigidus Orcus,
non sitiens haurit, lorica cum taciturna.

uicissim putauit id esse facillimum, quod semper de responso cogitabat. hoc autem tempore aliquid melius non meminisse potuit, adeo a quaestione ouorum commotus est. nihilominus quaestio Bilboni misero difficilis fuit, qui numquam negotium cum aqua habuit, si eam uitare potuit. ego puto te scire responsum, sane, aut id conicere posse quam facilius tam nictare, quia domi commode considis neque periculum ut comedaris habes, quod cogitationem tuam commouebit. Bilbo consedit atque gulam purgauit

semel aut iterum, sed responsum uenit nullum.

post nonnullum tempus Gollum secum laetus sibilauit: “est bonum, mi pretiossse? est sucosum? est gustandum ad mordendum?” e tenebris Bilbonem aspiciebat.

“dimidium momentum,” hobbitus quassans inquit. “iamnunc opportunitatem longissmam tibi dedi.”

“ei festinandum est, festinandum!” Gollum inquit, e scapha in litus ascendens ad Bilbonem capiendum. sed cum primum pedem longum membranaceum in aquam posuit, piscis quidam in terrore exsiluit atque in digitos pedum Bilbonis decidit.

qui “ugh!” inquit, “est frigidus atque mucosus!” – itaque coniecit. “pisces! pisces!” clamauit. “id est pisces!”

Gollum ualde frustratus est; sed Bilbo alterum aenigma rogauit tam celerrime quam umquam potis erat, ut Gollum iterum ingredi scapham et cogitare cogeretur.

nulla-crura in unum-crus iacuit, dua-crura in cruribus tribus propinqua sedit, quattuor-crura aliquantum habuit.

re uera hoc tempore aenigma illud non fuit aptum, sed Bilbo fuit impatiens. si in alio tempore id rogauerit, id coniciendi causa Gollum molestiam nonnullam habuerit. rebus de piscibus dictis, “nulla-crura” non tam difficillimum fuit, et post id cetera facilia erant. “piscis in mensa parua, homo ad mensam in sella sedens, feles ossa habet,” id, sane, est responsum, quod Gollum mox dedit. tum constituit tempus aduenire ad aliquid difficile

horribileque rogandum. id est quod dixit:

omnia deuorat id, florentia ubique per orbem;
cum chalybe et ferro morsis, tum saxa moluntur;
necantur reges, montes caeduntur et urbes.

miser Bilbo in tenebris sedit cogitans de nominibus horribilibus gigantum et trollorum, quae in fabulis audiuerat, sed nemo quorum omnes illas res fecerat. sensit responsum esse satis dispar, et se id scire oportere, sed id cogitare non potuit. pauescebat, quae res ad cogitandum est mala. Gollum e scapha egrediebatur. in aquam cum alapa pedum ibat atque ad ripam manibus se impellebat; Bilbo oculos aduenientes ad se uidere non potuit. lingua sua in ore adhaerere uisa est; exclamare uoluit: “da mihi plus temporis! da mihi tempus!” sed ululatu subito solum quod emisit fuit:

“tempus! tempus!”

Bilbo felicitate mera seruatus est. nam id, sane, responsum fuit.

Gollum rursus frustratus est; et nunc irascebatur, et adeo ludus eum fatigabat ut ualde esuriret. hoc tempore ad scapham non rediit. in tenebris iuxta Bilbonem consedit, a

quo hobbitus ualde conturbatus est et ingenia eius sparsa sunt.

“ei noss rogandum esst quaestionem, mi pretiossse, ita, itaa, itaaa. alteraam quaestionem, ut coniciam, ita, itaa,” Gollum inquit.

sed Bilbo de quaestione ulla cogitare non potuit dum id foedum, madidum, frigidum iuxta eum sedet, eum tanget atque fodicat. se scabit, se uellicauit; etiam de aliquo cogitare non potuit.

“roga nos! roga nos!” Gollum inquit.

Bilbo se uellicauit atque se feriuit; paruum ensem arripuit; etiam manu altera sinum explorauit. ibi anulum, quem in aditu sustulerat cuiusque oblitus est, inuenit.

“quid in sinu meo habeo?” clara uoce inquit. secum dicebat, sed Gollum putauit id esse aenigma, et ualde commotus est.

qui “iniuste! iniuste!” sibilauit. “id iniustum, mi pretiossse, estne, nos rogare quid in paruis foedis sinibusss haberet?”

Bilbo quid eueniret intellegebat, et nullo meliore rogando ad quaestionem adhaesit. “quid in sinu meo habeo?” maiore uoce inquit.

“s-s-s-s-s,” Gollum sibilauit. “nobis ab eo dandum est coniecturae tresss, mi pretiossse, coniecturae tresss.”

“esto! conice!” Bilbo inquit.

“manusss!” Gollum inquit.

“falsum,” Bilbo inquit, qui modo manum feliciter iterum

extulerat. “iterum conice!”

“s-s-s-s-s,” Gollum commotius quam umquam inquit. de omnibus, quae in sinibus suis tenebat, cogitauit: ossibus piscium, dentibus gobelinorum, conchis madidis, parte alae uespertilionis, saxo acuto quo dentes suos acueret, et ceteris foedis. quid alii in sinibus tenerent cogitare conatus est.

“culter!” postremo inquit.

“falsum!” Bilbo inquit, qui suum tempus nescio quid abhinc amiserat. “coniectura ultima!”

nunc Gollum multo in statuo peiore fuit quam cum Bilbo ouum-quaestionem rogauerat. sibilauit atque balbutiuit atque se rursum prorsum uacillauit, atque pedes in solum tundit, atque se sinuauit torsitque; sed etiam coniecturam ultimam perdere non ausus est.

“festina!” Bilbo inquit. “sum exspecto!” audax et laetus uideri conatus est, sed non sensit se omnino certum esse quomodo ludus finiretur, num Gollum recte coniceret necne.

“tempus est!” inquit.

“linum aut nihil!” Gollum ululauit, quod non satis iustum fuit – duas coniecturas simul addere.

“ambae sunt falsae,” Bilbo ualde releuatus clamauit; et statim exsiluit, tergum suum ad murum proximum posuit, et paruum ensem porrexit. sciuit, sane, ludum aenigmatum esse sacrum atque antiquissimum, et etiam animalia scelesta, cum eum luderent, uereri ne fraudarent. sensit

autem se huic mucoso non credere ut illud in re angusta promissum ullum seruaret. ex quo, excusatione qualibet praelata, laberet. praeterea, quaestio ultima illa non fuerat aenigma uera secundum leges antiquas.

nihilominus Gollum non statim in eum impetum fecit. qui ensem in manu Bilbonis uidere potuit. immotus sedit, horrens atque susurrans. denique Bilbo non longius manere potuit.

“itaque?” inquit. “quid de promisso tuo? exire uolo. a te uiam mihi monstrandam est.”

“diximusne ita, pretiose? exitum Bagginssi paruo malo monstra, ita, ita. sed quid id in sinibuss habet, eh? non linum, pretiose, sed non nihil. minime o! gollum!”

“numquam tu cures,” Bilbo inquit. “promissum est promissum.”

“id iratum est, impatiens, pretiose,” Gollum sibilauit. “sed ei manendum est, ita, manendum est. cuniculos properantius ascendere non possumus. eundum est nobis ut res aliquas caperemus, ita, quas nos iuuarent.”

“ergo festina!” Bilbo inquit, qui cogitare de Gollo abeundo gauisus est. putauit eum praeferre excusationem neque in animo habere ut rediret. quid dicit Gollum? quam rem utilem in lacu tenebroso seruare potuit? sed falsus est. Gollum in animo habuit ut rediret. nunc iratus est atque esuriens. porro miserum scelestum animal fuit, quod iam consilium habuit.

insula eius non longe afuit, cuius Bilbo nescius fuit, et

ibi in loco secreto aliquantas miseras nugas seruauit, et unam pulcherrimam rem, pulcherrimam, admirandissimam. anulum habuit, anulum aureum, anulum pretiosum.

"donum diei natalis!" secum susurrauit, sicut saepe per dies perpetuos tenebrosos susurrauerat. "id est quod nunc desidero, ita; id desideramus!"

id desiderauit quod anulus fuit potestatis, et si anulum digito tuo indueres, inuisibilis fieres; solum in sole pleno uideri posses, tum solum ab umbra tua, quae tenuis quassaque esset.

"donum diei natalis! quod ad me aduenit die natali, mi pretiose." ita semper sibi dixerat. sed quis scit quomodo Gollum donum illum acceperit, saeculis abhinc in diebus pristinis cum tales anuli in orbe terrarum adhuc adfuerint? fortasse etiam Dominus, qui eos rexit, non dicere potuerit. primum Gollum illum induere solebat, donec ille eum fatigauit; tum illum in sacco iuxta pellem suam tenuit, donec ille eum perussit; et nunc illum in foramine in saxo in insula celare solebat, et semper ad illum aspiciendum reddebat. etiamnunc aliquando illum induit cum ab illo separari longius non passus est, aut cum ualde, ualde esuriebat et piscibus defessus. tum secundum meatus tenebrosos, gobelinos errantes quaerens, reptare solebat. etiam in locos in quibus faces accensae sunt, ut oculi sui coniuerent atque adurerentur, iniret; nam tutus esset. o ita, satis tutus. nemo eum uidere posset, nemo eum animaduerteret, donec ille digitos suos in gulam eius

posuit. solum paucas horas abhinc anulum induerat, et paruum gobelinum-prolem ceperat. quomodo ille striderat! etiam ossa una aut dua mordenda supersunt, sed aliquid mollius desiderauit.

"satis tutus, ita," secum sibilauit. "id nos non uidebit, nonne, mi pretiose? minime. id nos non uidebit, et paruus ensis malus eius erit inutilis, ita quidem."

id fuit in parua mente mala ut subito e latere Bilbonis lapsus alapa pedum ad scapham rediit et in tenebras progressus est. Bilbo putauit se finem eius audisse. nihilominus, paulisper commoratus est; nam nihil in mentem uenit quomodo solus exitum inueniret.

subito stridorem audiuit, qui quassationem secundum tergum eius misit. Gollum in caligine non procul, ut a sonitu uisum est, maledicebat atque ululabat. in insula sua fuit, hic et illic scabens, frustra quaerens petensque.

"ubi esst ille? ubi esst ille?" Bilbo eum, qui clamabat audiuit. "amisssus est, mi pretiose, amissus, amissus! maledic nobis atque obtere nos, meus pretiosus amissus est!"

"quid est?" Bilbo uocauit. "quid amisisti?"

"id nos rogare non oportet," Gollum stridit."non est negotium eius, minime, gollum! amisssus est, gollum, gollum."

"ita ego item," Bilbo clamauit, "et non-amissus esse uolo. et ego in ludo uici, et tu promisisti. ita ueni huc! ueni ut me dimittas, tum aspicere perge!" Bilbo, quamquam

audire potuit quomodo omnino miser esset Gollum, multam misericordiam in corde suo inuenire nequiuit, et sensit aliquid, quod a Gollo tam multo desiderabatur, uix esse bonum. “ueni huc!” clamauit.

“minime, non iam, pretiose!” Gollum respondit. “ille nobis quaerendus est, amissus est, gollum!”

“sed numquam quaestionem ultimam meam coniecisti, atque promisisti,” Bilbo inquit.

“numquam conieci!” Gollum inquit. tum subito e caligine sibilum acutum uenit. “quid id habet in sinibuss? dic nobis illud. primum ei dicendum est.”

quoad Bilbo sciuit, non fuit ratio quaedam quamobrem non dicere oporteret. mens Golli ad coniecturam saluerat citius quam eius; necessarie, nam Gollum per saecula in hoc uno incuberat, et semper ueretur ne id furaretur. Bilbo autem cum mora stomachatus est. sane, in ludo uicerat, satis iuste, cum periculo horribili. “responsa esse coniecta non data,” inquit.

“sed quaestio non fuit iusta,” Gollum inquit. “non aenigma, pretiose, minime.”

“esto, si res est de quaestionibus cottidianis,” Bilbo respondit, “tum unam primum rogaui. quid amisisti? illud dic mihi!”

“quid id habet in sinibuss?” sonitus sibilans clarior atque acutior uenit, ad quem aspiciens nunc Bilbo trepidus dua parua acumina lucis eum intuentia uidit. ut suspicio in mente Golli crescebat, lux oculorum cum flamma pallida

flagrabat.

“quid amisisti?” Bilbo perseuerauit.

sed nunc lux in oculis Golli facta est ignis uiridis, quae celeriter appropinquabat. Gollum in scapha iterum fuit, ferociter manibus se impellebans ad litus atrum; tali ira amittendi atque suspicione in corde suo ut non iam ab ense ullo terreretur.

Bilbo conicere non potuit quid mentem miseri animalis alienauisset, sed intellexit finem facere omnibus, et sane Gollum in animo habere ut eum necaret. in ipso articulo temporis se terga data secundum aditum tenebrosum, per quem descenderat, recurrit, iuxta murum manens quem laeua tangebat.

“quid id habet in sinibuss?” sibilum clare pone eum et Gollum aspergentem, dum ille e scapha exsilit, audiuit. “quid habeo, miror?” secum inquit, ut anhelans et offendens progressus est. laeuam in sinu posuit. anulum esse frigidissimum sensit, qui in digitum indicem temptentem lapsus est.

sibilus in tergo paene aderat. nunc se uertit et oculos Golli quasi paruas lanternas uirides cliuem ascendentes uidit. territus celerius currere conatus est, sed subito, digitis in fissura soli offensis, pronus, paruo ense sub eo, decidit.

statim Gollum aderat, sed antequam Bilbo aliquid agere potuit, anhelitum recipere, se tollere, aut ensem gerere, Gollum praeteriit, nequaquam eum animaduertens,

maledicens atque sibilans dum currit.

quid significat hoc? Gollum in tenebris uidere poterat, Bilbo lucem pallidam oculorum eius nitentem etiam e tergo uidere potuit. magno cum dolore surrexit atque ensem, qui nunc iterum hebes fulgebat, recondidit, tum cautissime secutus est. nihil alium agendum uisum est. reptare deorsum ad aquam Golli non profuit. fortasse si illum secutus est, Gollum eum ad fugam nonnullam imprudenter duceret. “illi maledic! illi maledic! illi maledic!” sibilauit Gollum. “Bagginsi maledic! id abest! quid id habet in sinibuss? o, conicimus, conicimus, mi pretiose. ille id inuenit, ita certe. meum donum diei natalis.”

Bilbo aures eleuauit. postremo ipse conicere incipiebat. aliquantulum festinauit, tam propinquus quam ausus est post Gollum mouens, qui etiam celeriter ibat, neque respiciebat sed caput suum huc et illuc uertebat, ut Bilbo a fulgore hebeti in muris uidere poterat.

“meum donum diei natalis! illi maledic! quomodo id amisimus, mi pretiose? ita, id est. ubi proxime ab hac uia uenimus, ubi foedum iuuenem sstridorem torsimus. id est. illi maledic! id, post saecula omnia haec, e nobis lapsum est! amissum est, gollum.”

subito, gollum consedit et lacrimare coepit, sonitus sibilans atque singultans horribilis auditu. Bilbo constitit et se in murumcuniculi complanauit. paulo post Gollum lacrimare destitit et loqui coepit. secum disputari uisus

est.

“reddere illuc quaesitum inutile, minime. omnes locos quibus obiuimus non meminimus. et inutile est. Bagginssem in sinibuss id habere; nasutum foedum id inuenisse, dicimus.

“nos conicimus, pretiose, modo conicimus. non scire possumus donec animal foedum inueniamus atque id comprimamus. sed nonne id quae donum ageret nesciuit? modo id in sinibuss tenebit. nesciuit, nec longe ire potest. se amisit, id foedum nasutum. exitum nesciuit. id ita dixit.

“ita dixit, ita; sed id est dolosum. quae uult non dicit. quod in sinibus habet id non dicet. id scit. ingressum scit, exitum scire oportet, ita. ad posticum eundem est. ad posticum, id est.

“gobelini igitur id capient. ex illa uia exire non potest, pretiose.

“ssss, sss, gollum! gobelinii! ita, sed si donum habet, donum nostrum pretiosum, tum gobelinii illum capient, gollum! illum inuenient, quid illum agat cognoscent. numquam tuti postea erimus, numquam, gollum! gobelinus unus illum inuduet, tum nemo eum uidebit. ibi aderit sed non uideri poterit. nec etiam oculi callidi nostri eum animaduertent; qui reptans et dolosus ueniet atque nos capiet, gollum, gollum!

“ergo dicere desinamus, pretiose, et festinemus. si Baggins secundum illam uiam iit, nobis celeriter eundum est ut uideamus. ite! non longe est nunc. festinate!”

Gollum exsiluit et gradu celeri membris dissolutis progredi coepit. Bilbo eum festinater secutus est, caute etiam, quamquam imprimis uerebatur ne pedes in fissura altera offenderet et cum sonitu decideret. caput spe atque admiratione commouebatur. uisum est anulum esse magicum; qui effecit ut tu inuisibilis fieres! de talibus rebus, sane, in fabulis pristinis, pristinis audiuerat; sed magnum fuit credere se quidem unam casu inuenisse. nihilominus, ibi fuit res: Gollum cum oculis claris eum praeteriuerat, una ulna solum ad latus.

pergebant, Gollum in fronte pedibus plaudentibus, susurrans atque maledicens; Bilbo in tergo tam tacitus quam hobbitus pote. mox ad locos ubi, ut Bilbo in uia deorsum animaduerterat, meatus ad latera huc et illuc aperti sunt, aduenerunt. statim Gollum eos numerare coepit.

“unus ad sinistram, ita. unus ad dexteram, ita. duo ad dexteram, ita, ita. duo ad sinistram, ita, ita.” et cetera et cetera.

numeratione crescente, ille retardauit, et se quassare et lacrimas effundere coepit, nam longius et longius in tergo aberat aqua, et ille timebat. fortasse Gobelini aderant, et anulum suum amiserat. demum iuxta aperturam humilem, ad sinistram dum ascendunt, constitit.

“septem ad dexteram, ita, sex ad sinistram, ita!” sibilauit. “haec est. est uia ad posticum, ita. hic est meatus!”

intus intuitus refugit. “sed introire non audemus, pretiose, minime non audemus. gobelini istic sunt. multi gobelini. eos odoramur. ssss!

“quid agemus? illis maledic et illos obtere!” nobis hic manendum est, pretiose, paulum manendum ut uideamus.”

ergo omnino constiterunt. Gollum quidem Bilbonem ad exitum ducerat, sed Bilbo intrare non poterat! ibi erat Gollum gibbus in media apertura sedens, oculis in capite frigidis nitentibus dum id in utramque partem inter genua uacillatur.

Bilbo magis tacitus quam mus e muro repsit; sed statim Gollum riguit et odorem naribus duxit, et oculi in uiridem uersi sunt. molliter sed minaciter sibilauit. hobbitum uidere non potuit, sed nunc uigilans erat, et sensus alteros habuit, qui a tenebris facti erant acuti: auditio atque odoratio. manibus planis in solo extensis atque capite proiecto, nare paene ad saxum, usque deorsum demissus esse uisus est. quamquam ille in fulgore oculorum suis modo umbra atra fuit, nihilominus Bilbo uidere uel sentire potuit illum esse tam rigidum quam neruum, conglobatum ad saliendum.

Bilbo paene spirare desiit, atque ipse riguit. desperatus fuit. ei effugiendum est, e caligine horribili, dum ei uis ulla superest. ei pugnandum est. id foedum ab eo fodiendum est, oculi eius exstinguendi sunt, id necandum. in animo habuit ut eum necaret. minime, pugna fuit iniusta. nam nunc inuisibilis fuit. Gollum tamen ensem nullum

habuit. re uera Gollum eum necare non minatus erat, neque etiam conatus est. qui, porro, miser fuit, solus, amissus. intellectus subitus, misericordia quaedam cum horrore mixta, in corde Bilbonis scatebat: ille dies innumerabiles praetermissos sine luce aut spe meliorum aspexit, saxum durum, pisces frigidos, furtiue serpentem susurrantemque. quae sententiae omnes in fulgore puncti temporis praeterierunt. Bilbo horruit. tum satis subito in fulgore altero, quasi ui noua atque uoluntate sublatus, saluit.

qui non fuit magnus saltus hominis, sed saltus in tenebris. directe super caput Golli saluit, septem pedes prorsum, tres in aerem; quidem, utinam sciuerit, uix uitauit quin caput in arcu humili meatus tunderet.

Gollum se retrorsum iecit et, dum hobbitus superuolat, eum prehendit, sed tardius: manus in aere tenui crepuerunt, et Bilbo, in pedes robustos aeque decidens, secundum cuniculum nouum properauit. nec se uertit ad uidendum quid Gollum ageret. primum fuit sibilans atque maledicens paene ad calces, quod tum destiterunt. statim stridor, qui sanguinem coagulauit, odii atque desperationis plenus uenit. Gollum uictus est. non ulterius ire ausus est. amiserat; praedam amiserat, etiam rem solam, quam umquam curauerat, amiserat, scilicet pretiosum suum. stridor cor Bilbonis ad os intulit, sed etiam perrexit. nunc tam hebes quam imago, sed minax, in tergo uenit uox:

"fur, fur, fur! Baggins! id odimus, id odimus, in aeternum id odimus!"

tum silentium fuit, quod quoque Bilboni minari uisum est. “si gobelini adeo adsunt ut ille eos odoraret,” cogitauit, “tum eum, qui stridebat atque maledicebat, audiuerunt. nunc caue, aut hoc iter te ad peiora ducet.”

meatus fuit humilis et aspere factus. qui hobbito non difficilior fuit, praeter cum, omnibus curis exceptis, digitos pedum miseros in saxa serrata mala aliquotiens rursus contudi t. “satis humilis gobelinis, saltem magnis illis,” Bilbo cogitauit, qui nesciuit magnos illos etiam, *orcos montium, celeriter pergere se inclinantes, manibus paene humi.

mox meatus, qui deorsum declinauerat, iterum ascendere coepit, et paulo post praeceps scandit, quae res Bilbonem retardauit. postremo autem decliue destitit et meatus circum angulum se uertit et deorsum iterum uergit, et ibi, in imo decliue breui, circum angulum alterum colantem, uidit – fulgorem lucis. non lux rubra, quasi ignis aut lanternae, sed pallida foris lux. tum Bilbo currere coepit.

festinans tam celeriter quam crura eum ferre potuerunt circum angulum ultimum se uertit et subito in spatium apertum emersit, in quo lux, post omne tempus illud in tenebris, adeo splendida esse uisa est ut oculos eius perstringeret. re uera fuit solum radius solis qui per fores perfluebat, ubi ingens ianua, saxosa ianua, aperiebatur.

Bilbo coniuit, et tum subito gobelinos uidit: gobelinos armatos ensibus eductis, sedentes in foribus, quas cum

oculis late apertis, et aditum, qui ad eas tetendit, aspiciebant. suscitati, uigilantes fuerunt, ad omnia parati.

illi eum uiderunt maturius quam is illos. ita, eum uiderunt. utrum id casu euenit, an id fuit dolus ultimus anuli antequam ille dominum nouum cepit, ille in digito eius non fuit. cum clamoribus laetis gobelini in eum ruerunt.

dolor metus amissionisque, quasi imago miseriae Golli, Bilbonem feriuit, et etiam ensem educere oblitus, manus in sinus infixit. ibi adhuc fuit anulus, in sinu sinistra, qui in digito eius lapsus est. gobelini statim destitit. signum eius non uidere potuerunt. ille euanuerat. alterum tantum maius clamauerunt quam ante, sed non tam laetius.

"ubi est id?" praedicauerunt.

"secundum aditum redite!" nonnulli clamitauerunt.

"huc ite!" alii clamauerunt. "illuc ite!" alii clamauerunt.

"ianuam intuemini," dux mugiuit.

fistulae flabantur, arma concrepabantur, enses crepitabant, gobelini maledicentes atque res exsecrantes huc et illuc cucurrerunt, alii super alios occidentes iratissimi fiebant. fuit clamor terribilis, conuicium, et perturbatio.

Bilbo ualde timuit, sed ingenium mentis habuit intellegere quid egisset et post magnam cupam, quae potionem pro gobelinis-custodibus tenuit, reptare, itaque e uia exiit et uitauit ne contunderetur, ad mortem calcaretur, aut a tactu caperetur.

"ad ianuam mihi perueniendum est, ad ianuam mihi perueniendum est!" secum iterauit, sed diu id conari non ausus est. tum res fuit quasi *lusus horribilis uiri oculis obligatis. locus erat gobelinorum discurrentium plenus, et paruum hobbitus miser huc et illuc elapsus, a gobelino quodam, qui intellegere quid offendisset non poterat, deicebatur, iterum quadrupes se ferebat, in tempore ipso inter crura ducis lapsus, surrexit, et ad ianuam cucurrit.

quae etiam aperta est, sed gobelinus quidam eam pepulit ut paene clauderetur. Bilbo nixus est sed eam mouere non potuit. per rimam se comprimere conatus est. se compressit atque compressit, tum fixus est! res fuit horribilis. orbiculi eius inter limen ianuae et postem cunebantur. foris in aerem apertam uidere potuit: fuerunt scalae in uallem angustam inter montes altos descendentes; sol a tergo nubis egressus extrinsecus in ianuam clare lucebat – per quam transire non potuit.

subito gobelinus quidam intrinsecus clamauit: "est umbra iuxta ianuam. nescio quid foris est!"

cor Bilbonis in os saluit. maxime se elisus est. orbiculi ubique eruperunt. tum pertransiit, tunica *subuculaque scissa, sicut capra de scalis desiliens, dum gobelini perturbati orbiculos aereos bonos in foribus tollent.

sane, mox descenderunt ut eum sequerentur, gementes clamantesque, atque inter arbores uenantes. quibus autem sol non placet: qui efficit ut crura quassentur et capita uertantur. Bilbonem anulum induentem, per umbras

arborum labentem, celeriter et tacite currentum, et e sole manentem, inuenire non potuerunt; itaque mox mussantes et maledicentes redierunt ut ianuam custodirent. Bilbo effugerat.

CAPVT SEXTVM

E SARTAGINE IN IGNEM

Bilbo e gobelinis effugerat, sed ubi esset nesciuit. cucullum, amiculum, cibum, mannum, orbiculos, et amicos amiserat. ulterius et ulterius errabat, donec sol ad occidentem occidere coepit – *pone montes*. umbrae quorum trans uiam Bilbonis descenderunt, qui rursum aspexit. tum prorsum aspexit et ante eum solum iuga atque decliuia descendentia ad campos et locos planos rare dispectos inter arbores uidere potuit.

"pro di immortales!" exclamauit. "ego usque ad latus alterum Montium Nebulosorum aduenisse uideor, usque ad limen Terrae Vlterioris! quo et o quo Gandalphus atque nani ierunt? pro fidem utinam in tergo illic in potestate gobelinorum adhuc non sint!"

ulterius etiam errabat, e parua ualle alta, super limen eius, et deorsum decliuia ultra; sed semper sententia incommoda intra eum crescebat. miratus est num, nunc

anulum magicum habuit, se in horribiles, horribiles cuniculos redire oporteret ad amicos quaerendos. animum modo induxit rem esse officium suum, sibi reuertendum esse – de qua re miserrimus fuit – cum uoces audiuit.

constitit et auscultauit. sonitus non gobelinorum esse uisus est; ita prorsus caute reptauit. in semita lapidosa fuit, quae deorsum se insinuabat, cum muro saxeo ad sinistram; ad alterum terra fuit decliuis, et sub semita fuerunt luci fruticibus atque arboribus humilibus pendentibus. in luco quodam sub fruticibus loquebantur homines.

propius reptauit, et subito inter dua ingentia saxa caput cum cucullo rubro despiciens uidit: fuit Balinus circumspectans. pro gaudio plaudauerit atque clamauerit, sed nihil fecit. anulum adhuc induebat, ueritus ne nescio cui inopinato atque iniucundo obuiam iret, et uidit Balinum directe aspicere ad eum sed non animaduertere eum.

“efficiam ut illi obstupefacti sint,” cogitauit, dum in frutices in limine luci reptat. Gandalphus cum nanis disputabat. de omnibus, quae in cuniculis sibi euenissent, loquebantur et mirabantur atque secum agitabant quid nunc agerent. nani mussabant, et Gandalphus dicebat se, Domino Bagginse in manibus gobelinorum relicto, nequaquam iter pergere posse quin inuenire conarent utrum uiuus esset an mortuus, et quin eum seruare conarent.

“saltem amicus meus est,” magus inquit, “neque malum salaputium. sentio me de eo praestare. pro fidem utinam

eum non amisissetis."

nani uoluerunt scire quamobrem ille umquam latus esset, quamobrem ille amicis adhaerere atque cum illis progredi non potuisset, et quamobrem magus nescio quem maiore ingenio non elegisset. "adhuc molestior quam utilior fuit," unus inquit. "si nunc nobis reddendum est in illos cuniculos abominandos ut eum quaeramus, tum di eum perdant, ita dico."

Gandalphus iratus respondit: "ego eum tuli, neque res inutiles fero. aut me iuuatis ad eum quaerendum, aut discedam et uos hic relinquam ut ipsi e turba ista, quam maxime possitis, effugiatis. si modo eum iterum inuenire possimus, gratias mihi dabitis antequam omnia finita erunt. quamobrem eum demittere uis, Dori?"

"tu eum demiseris," Dorius inquit, "si repente gobelinus a tergo in tenebris crura tua prehenderit, pedes tuos supplantauerit et te in tergo tuo calcauerit!"

"tum quare eum non iterum sustulit?"

"pro di immortales! dicisne! gobelinis pugnantibus atque mordentibus in tenebris, omnibus supra corpora incidentibus atque inter se uerberantibus! tu me Glamdringe paene decollauit, et Thorinus huc et illuc et ubique Orcristo omnia fodiebat. subito tu unum fulgorem splendidum tuum emisisti, et gobelinos retrorsum currentes stridentes uidimus. tu 'omnes me sequimini!' clamauit, et omnes secuti esse oportuit. putauimus omnes id fecisse. fuit nihil temporis ad numerandum, ut

rectissime scis, donec per custodes-portae, ex ianua inferiore, et praecipites deorsum huc properaueramus. nunc hic sumus – sine effractario, eum confunde!"

"ecce effractarius!" Bilbo inquit, anulo remoto, in medium eorum ingrediens.

di me ament, quomodo saluerunt! tum stupefacti atque delectati clamabant. Gandalphus tam attonitus quam aliquis fuit, sed magis gaudere quam ceteri uisus est. Balinum uocauit, cui dixit quid putaret de homine circumspectanti, qui homines usque in medium eorum in illo modo sine admonitione ambulare sinebat. uerum est famam Bilbonis apud nanos post illam rem multo ascendisse. etiamsi illi dubitauerant eum quidem esse effractarium principem, uerbis Gandalphi neglectis, non iam dubitauerunt. Balinus omnium perplexissimus fuit; sed omnes dixerunt rem esse callidissimam.

laudes quorum quidem Bilboni adeo placuerunt ut ille modo cachinnaret et nihil quodcumque de anulo diceret; et cum eum rogauissent quomodo id fecisset, dixit: "o, modo prorsus reptaui, scitisne – cautissime taciteque."

"est primum quidem tempus etiam murem caute taciteque sub naso meo reptare neque aspici," Balinus inquit, "et cucullum meum tibi aufero." quam rem fecit.

"Balinus tibi seruio," inquit.

"seruus tuus, Dominus Baggins," Bilbo inquit.

tum omnia de facinoribus eius, postquam eum amiserunt, scire uoluerunt, itaque is consedit et omnia illis

narrauit – de anulum inueniendo excepto (“non in praesenti,” cogitauit). certaminisaenigmatum praecipue studiosi fuerunt, et descriptionem eius Golli gratissime horruerunt.

“et tum quaestionem alteram cogitare nequiui dum ille iuxta me sedet,” finem fecit Bilbo; “ita ego dixi ‘quid in sinu meo est?’ neque ille tribus conatis conicere poterat. ita dixi: ‘quid de promisso tuo? exitum mihi monstra!’ sed ille ad me uenit ut me necaret, et effugi, et decidi, et ille in tenebris me amisit. tum illum secutus sum quod illum, qui secum loquebatur, audiui. qui putauit me re uera scire exitum, itaque ad id progrediebatur. et tum in introitu consedit neque praeterire potui. ita super eum saluit et euasi, et ad portam decurri.”

“quid de custodibus?” rogauerunt. “num fuerunt nulli?”

“sane! multi; sed eos elusi. in ianua fixus sum, quae solum a rima aperta est, et multos orbiculos amisi,” tristis inquit, uestimenta scissa aspiciens.“sed per ianuam quidem se compressi – ecce hic sum.”

nani eum honoris noui satis dignum aspexerunt, dum de custodes eludendo, super Gollum saliendo, et per ianuam se comprimendo loquitur, quasi res nec difficilis nec periculosa fuisset.

“quid uobis dixi?” Gandalphus ridens inquit. “est Domino Bagginsi magis quam coniecistis.” his dictis, Bilbonem sub superciliis fruticosis mirimodis intuitus est, et hobbitus miratus est num ille partem fabulae, quam is

omiserat, coniecisset.

tum quaestiones suas rogandas habuit, nam, quamquam Gandalphus iam rem nanis explicauerat, Bilbo eam non audiuerat. quomodo magus redisset et quo nunc omnes uenissent scire uoluit.

re uera mago explicare callidum suum magis quam semel numquam displicuit, itaque nunc Bilboni dixit et se et Elrondem multum animaduertisse gobelinos malos adesse in illa parte montium. portam autem quorum primam in transitu altero antea apertam fuisse, per quem facilius iter factum est, ut homines nocte opprimos iuxta portas suas saepe cepissent. sane homines uiam illam reliquisse, et haud dubium est quin gobelini ingressum nouum in summo transitu recens aperuissent, quem nani secuti erant, quod usque ad nunc illum tutissimum fuisse.

“mihi oportet inuenire gigantem magis minusue honestum qui illum iterum obstruat,” Gandalphus inquit, “aut mox trans montes numquam ibitur.”

cum primum Gandalphus clamorem Bilbonis audiuerat, quid factum esset intellexerat. in fulgore, qui gobelinos eum prehendentes necauerat, is in rimam properauerat cum maxime crepitu clausa erat. agitatores et captiuos secutus erat usque ad limen magnae aulae, et ibi in umbris consederat ad maximam magiam, quam potuit, gignendam.

“fuit res trepidissima,” inquit. “tange et i!”

sed sane, Gandalphus carminibus cum igne et lucibus praecipue studuerat (hobbitus etiam pyrobolorum

chartaceorum magicorum in conuiuiis pridie mediam aestatis Senis Tookis numquam oblitus est, ut meministi). cetera nos omnes scimus – nisi quod Gandalphus omnia de postico sciuerat, quod gobelini portam inferiorem appellabant, qua Bilbo orbiculos amiserat. re uera, illud omnibus, qui hanc partem montium nouerunt, bene sciebatur; sed opus fuit mago qui in cuniculis aequa mente seruata eos recta uia duceret.

"illam portam saecula abhinc fecerunt," inquit, "partim effugiendi causa, si illis uia opus fuit; partim egrediendi causa in terras ulterias, in quibus adhuc in tenebris ueniunt atque multa spoliant. quam semper custodiunt nec quisquam eam obstruere potuit. post hanc rem eam bis custodient," risit.

ceteri quoque riserunt. re uera multa amiserant, sed Magnum Gobelinum necauerant atque multos ceteros praeterea, et omnes ipsi effugerant, ergo licet dicere eos hactenus habuisse optimum rerum.

sed magus eos ad mentes suas uocauit. "statim nobis progrediendum est, nunc paulum requieti sumus," inquit. "nocte adueniente magnae copiae eorum nos quaerentes exibunt; et iam umbrae crescunt. illi uestigia nostra odorari possunt post horas et horas quam praeteriimus. ante crepusculum milibus passuum nobis progrediendum est. erit pars lunae, si caelum manebit tranquillum, quod felix est. luna illis non multum displicet, sed lucem nobis dabit, quae nos diriget."

"o ita!" respondens quaestionibus pluribus hobbiti inquit. "in cuniculis-gobelinorum uestigium temporis amittis. hodie est dies Iouis, et fuit aut nox diei lunae aut mane diei Martis in quo capti sumus. milia et milia passuum uenimus, et usque per cor montium descendimus, et nunc in latere altero sumus – uia fuit satis compendiaria. sed non in loco adsumus quo transitus noster nos duxerit; ad Septentriones longius sumus, et in fronte est terra difficilis. etiam admodum in excelso sumus. progrediamur!"

"ualde esuriens sum," Bilbo gemuit, qui subito sensit se a nocte ante noctem ante nouissimam non cenauisse. id pro hobbito solum cogita! stomachus omnino inanis laxusque esse uisus est et crura tremula, nunc concitatio finita est.

"id iuuare non possum," Gandalphus inquit, "nisi redire tibi placeat ut gobelinos uenuste roges num mannum tuum et impedimenta tibi reddant."

"minime, gratias ago tibi!" Bilbo inquit.

"maxime tunc, nobis cingula constringenda sunt et porro pedibus fessis progrediendum – aut nos in cenam mutabimus, quae res multo peior erit quam aliquid nobis defuerit."

dum progrediuntur, Bilbo hinc atque illinc esculenta quaerebat; sed *rubi etiamnum in floribus fuerunt, et certe nuces non fuerunt, non etiam acini-*crataegi oxycanthae. paruum *lapathi rosit, et e riuo-montano, qui iter transibat, bibit, et tria fraga, quae in ripa inuenit, edit, sed non multo

ad rem.

adhuc progressi sunt porro et porro. semita dura euanuit. frutices, et gramina longa inter saxa magna, et panni herbae a cuniculis tonsae, *thymum atque *saluia atque *amaracus, et rosae-saxorum flauae, omnes euanuerunt, et illi inuenerunt se esse in summo lato atque praecipite cliui saxorum deiectorum, quae fuerunt reliqua lapsus terrae. cum descendere coepissent, rudera atque parui lapilli e pedibus uoluti sunt; mox fragmenta saxorum fractorum ingentiora crepitibus descendebant ut fragmenta altera infra inciderent quae laberentur et uoluerentur; tum massae saxosae commouebantur quae exsiliebant, fragosae puluere atque sonitu descendentes. mox omnis cliuus super eos atque infra eos moueri uisus est, et globosi elabebantur, saxis crustisque labentibus, crepitantibus, frangentibus confusis.

arbores in imo eos seruauerunt. lapsi sunt in limen nemoris ascendentis pinum, quae hic tetendit e siluis altioribus atrioribus infra usque secundum cliuum montis. alii truncis ceptis se iactauerunt in ramos inferiores, alii (sicut paruus hobbitus) post arborem ierunt ut a impetu saxorum tegerentur. mox periculum finitum est, lapsus destiterat, atque ultimi fragores hebetes audiri potuerunt ut ingentiores saxorum commotorum inter filices et radices pinum long infra desiliebant atque uoluebantur.

“en! ab illa re paulo perreximus,” Gandalphus inquit; “etiam gobelini nos inuestigantes taciti huc aegre

descendent.”

“sane,” Bombur mussauit;“sed illis nihil erit negotii demittere saxa salientia in capita nostra.” nani (et Bilbo) sentiebant se longe a felicitate abesse, et contusa laesaque crura atque pedes fricabant.

“gerrae! hic e uia lapsus deuertemus. nobis festinandum est! lucem aspicite!”

sole post montes longe occaso, iam circum eos umbrae altiores erant, quamquam longe per arbores atque super uertices nigros illarum, quae inferius crescebant, luces uesperi in campis ultra adhuc uidere potuerunt. per cliuos molles siluae pinum secundum semitam obliquam, quae ad meridiem constanter tendebat, claudicantes quam celerrime descenderunt. aliquando mare filicium foliis altis ascendentibus usque supra caput hobbiti perrumpebant; aliquando quam taciti tam taciti super solum acuum pinum iter faciebant; ut caligo-siluae densior fiebat atque silentium-siluae altius. uesperi illo erat nihil uenti qui etiam suspirium-maris in ramos arborum ferret.

“debemusne ire ulterius?” Bilbo rogauit, cum adeo tenebrosum esset ut solum barbam Thorini uacillantem iuxta eum uidere posset, et adeo tacitum ut spiritus nanorum quasi sonitum magnum audire posset. “digiti pedum sunt omnino contusi atque curui, et stomachus quasi saccus inanis uacillat.”

“paulo ulterius,” Gandalphus inquit.

post quod multo ulterius esse uisum est, subito ad locum, in quo arbores nullas crescebat, aduenerunt. luna erecta in apertum lucebat. nescio quo modo omnes perceperunt hunc nequaquam esse locum amoenum, quamquam nihil mali uideri potuit.

repente ululatum quoddam ex prono collis audiuerunt, longum horrentem ululatum. alterum ad dexteram et multo propius eis respondit; tum alterum non longe ad sinistram. erant lupi ululantes ad lunam, lupi se congregantes!

nulli lupi propinqui foramini Domini Bagginsis domi habitabant, sed illum sonitum sciuit, qui ei in fabulis saepenumero descriptus erat. quem consobrinus maior quiddem (e stirpe Tookis), qui uiator egregius fuerat, imitari solebat ut eum terreret. audire quem foris in siluis sub luna fuit res nimia Bilbone. etiam anuli magici contra lupos non multum utiles sunt – praecipue contra manus malas, quae sub umbra montium gobelinis infestatorum, super Limen Vastitatis in finibus ignotorum habitabant. lupi illius generis acutius quam gobelini odorantur, neque illis opus est te uidere ad te capiendum!

“quid agemus, quid agemus!” ille clamauit. “gobelinos effugimus ut a lupis caperemur!” inquit, et prouerbium factum est, quamquam nunc “e sartagine in ignem” in eisdem locis incommodis dicimus.

“arbores ascendite, cito!” Gandalphus clamauit; et ad arbores in margine nemoris cucurrerunt, illas cum ramis humilioribus aut satis tenuibus quaerentes ut illas

ascenderent. quas tibi liceat conicere eos, celerius quam umquam potuerunt, inuenisse; atque ascendere tam altius quam umquam ramis confidere potuerunt. tu riseris (a distantia tuta), si nanos in arboribus sedentes cum barbis dependentibus, similes senibus insanis qui quasi pueri luderent, uideris. Filius et Killius in uertice *laricis excelsae similis arbori ingenti Diei Natalis Christi fuerunt. Dorius, Norius, Oinus et Gloinus commodiores fuerunt in pinu ingenti, cum ramis ordinariis ex interuallis protrusis, radiis rotae similibus. Bifur, Bofur, Bombur et Thorinus in altera fuerunt. Dwalinus et Balinus *abietem excelsam tenuem cum ramis paruis ascenderant et locum ad sedendum aptum apud uiriditatem frondium excelsissimarum inuenire conabantur. Gandalphus, qui multo altior quam ceteri fuit, arborem inuenerat, in quam ascendere non potuerunt, pinus magna quae in margine ipso nemoris stabat. is in ramis omnino celatus est, sed oculos eius nitentes in luna uidere potuisti dum prospicit.

et Bilbo? in arborem ullam ascendere nequiuit et e trunco ad truncum circumerrabat sicut cuniculum foramine amisso et cane eum consequente.

“effractarium iterum reliquisti!” Norius deorsum aspiciens Dorio inquit.

“effractarios in tergo meo semper ferre non possum,” Dorius inquit, “secundum cuniculos et sursum arbores! quem me esse putas? *baiulumne?”

“ille consumetur nisi aliquid agimus,” Thorinus inquit,

nam nunc ululatus circum eos erant, propius atque propius mouentes. “Dori!” uocauit, nam Dorius erat infimus in arbore facillima, “festina, et manum Domino Bagginsi ad ascendendum da!”

Dorius sane fuit honestus homo, mussantibus non neglectis. miser Bilbo manum eius attingere nequiuit, etiam cum ille ad ramum imum descendisset atque bracchium suum longius deorsum, quam maxime potuit, suspendisset. itaque Dorius re uera, ex arbore egressus, Bilbonem ascendere et in tergum suum stare siuit.

nunc cum maxime lupi ululantes in apertum ambulabant. repente erant sescenti oculi eos aspicientes. nihilominus Dorius Bilbonem non demisit. moratus donec Bilbo ex umeris eius in ramos scanderat, ipse in ramos exsiluit. modo in tempore! lupus quidam amiculum cuius, qui sursum saliebat, mordicus arripuit, et paene illum cepit. in puncto temporis erant omnis grex luporum circum arborem banniens et ad truncum exsiliens, flagrantibus oculis et linguis dependentibus.

sed etiam feri *wargi (nam sic lupi mali super Limen Vastitatis appellabantur) arbores ascendere nequeunt. per tempus nescio quod tuti fuerunt. feliciter tempestas erat tepida non uentosa. arbores non sunt ualde commodae ad diu sedendum aliquo tempore; sed in frigido et uento, cum lupis circumiacentibus infra te exspectantibus, loci miserrimi esse possunt.

hoc nemus euidenter fuit locus conuentus luporum.

plures atque plures introibant. custodibus relictis in ima arbore in qua Dorius et Bilbo fuerunt, naribus humi errabant donec quamque arborem, cui aliquis inerat, olfecerant. quas quoque custodiuerunt, dum ceteri (centum et centum esse uisi sunt) in circulo magno in nemore considunt; et in medio circulo fuit magnus lupus canus. cum illis in lingua horribili wargorum locutus est. quam Gandalphus intellexit. Bilbo non intellexit, sed absonam esse terribilem putabat, quasi sermo eorum omnis de crudelis atque malis rebus fuit, ut sane fuit. aliquando omnes wargi in circulo duci cano una respondere solebant, et clamor quorum dirus paene effecit ut hobbitus e pinu decideret.

tibi dicam illa, quae Gandalphus audiuit, quamquam Bilbo illa non intellexit. wargi et gobelini saepe inter se malis rebus iuuabantur. gobelini longe a montibus peregrinari non solebant, nisi expulsi domus nouas quaerebant, aut ad bellum iter faciebant (quae res, mihi placet dicere, diu non accidit). sed illis in diebus aliquando impetus facere solebant praecipue ad spoliandum cibum aut seruos, qui illis laborarent, saepe wargis iuuantibus, quibus spolia partiuerunt. aliquando in lupis equitabant sicut homines in equis. nun c nocte ipsa magnus impetus gobelinorum cogitatus esse uisus est. wargi aduenerant ut obuiam gobelinis irent et gobelini tardi fuerunt. sine dubio propter mortuum Magni Gobelini, et omnis concitatio quam nani et Bilbo et magus fecerant,

quos probabiliter adhuc uenabantur.

periculis omnibus huius terrae extremae non exceptis homines audaces in eam e Meridie recens reuersi erant, arbores decidentes et ipsis aedificantes locos in quibus apud amoeniores siluas in uallibus et secundum litora-fluminorum habitare potuerunt. multi erant, fortes atque bene armati, nec etiam wargi in illos, cum illi complures una essent, impetum facere ausi sunt, aut in clara luce. nunc autem, gobelinis adiuuantibus, in uicos aliquos proxime montes noctu descendere cogitauerant. si consilium quorum effectum esset, ibi proximo die nemo superesset; omnes necati essent, paucis exceptis quos, a wargis receptos, gobelini captiuos ad antra sua retulissent.

haec fuit sermo terribilis audienda, non solum propter fortes homines-siluestres atque mulieres eorum et liberos, sed etiam propter periculum, quod nunc Gandalpho et amicis imminebant. wargi irati sunt atque incerti quamobrem illos hic in loco conuentus ipso inuenirent. putauerunt illos esse amicos hominum-siluestrium atque aduenisse ut ipsos specularent, et nuntium consiliorum in ualles laturos esse, et tum gobelinis atque lupis atrociter pugnandum erit, potius quam et captiuos capere et homines ex somno subito excitatos deuorare. ita wargi nequaquam in animo habuerunt se abscedere et pati homines in arboribus effugere, non utique ad mane. longe ante quod, dixerunt gobelinos-milites e montibus descensuros esse; et gobelini arbores ascendere possunt, aut illas decidere.

tu nunc potes intellegere quamobrem Gandalphus illos, qui ganniebant et ululabant, audiens, ualde timere coepisset, etiamsi magus fuit, atque sentire se ipsos esse in loco pessimo et nequaquam effugisse. nihilominus non patiebatur illos omnino uincere, quamquam multa facere nequiuit dum in arbore excelsa, lupis infra circumiacentibus humi, figebatur. conis-pinus ingentibus e ramis arboris collectis, quemdam igne caeruleo claro incensum sonitu stridulo in circulum luporum deiecit. qui unum in tergo percussit, qui statim, pelle hirsuta inflammata, horribili modo ululans huc et illuc saliebat. tum alter uenit atque alter, alius caeruleis flammis, alius rubris, alius uiridibus. humi in medio circulo rupti, scintillis coloratis et fumis dissipabantur. unus quidam praecipue magnus lupum principem in narem percussit, qui decem pedes in aerem exsiluit, tum circum et circum circulum festinauit, iratus territusque etiam lupos alteros mordens et mordicus arripiens.

nani et Bilbo clamauerunt atque plauserunt. ira luporum fuit res terribilis uideri, et concitatio, quas illi fecerunt, omnem siluam impleuit. omnibus temporibus lupi ignem timent, sed hic fuit ualde horribilis atque insolitus ignis. si scintilla quaedam in pelles illorum uenit, fixa est atque illos inussit, et nisi celerrime se humi prouoluerunt, breui tempore in flammis omnino fuerunt. mox ubique per nemus lupi se reuoluebant atque reuoluebant ut scintillas in tergis suis exstinguerent, dum flagrantes discurrunt ululantes et

alios incendentes, donec ab amicis pulsi secundum decliuia stridentes et ululantes et aquam quaerentes effugerunt.

“quid est omnis clamor hoc nocte in silua?” Dominus Aquilarum inquit, qui niger in lumine lunae, in summo fastigio solo saxeo ad limen orientale montium sedebat. “uoces luporum audio! suntne gobelini malefacientes in siluis?”

in aerem uerrit, et statim duo custodes eius e saxis lateribus utrisque exsiluerunt qui eum sequerentur. in caelo circumuolabant et anulum wargorum despectabant, maculam paruam longe, longe infra. aquilis autem oculi acuti sunt et paruula procul uidere possunt. Dominus Aquilarum Montium Nebulosi oculos habuit, qui inconiui solem intueri, et cuniculum humi mouentem milia passuum infra etiam in lumine lunae uidere potuerunt. itaque quamquam homines in arboribus uidere nequiuit, concitationem apud lupos aspicere, et fulgores paruulos uidere, et stridores ululatusque, qui hebetes ex longinquo infra ascendebant, audire potuit. porro lunam in hastis galeisque gobelinorum fulgentem uidere potuit, ut acies longae mali populi secundum decliuia e porta deripiebant et in siluam se insinuabant.

aquilae non sunt aues benignae. nonnullae sunt ignauae et crudeles. gens autem antiqua montium septentrionum erant maximae auium omnium; superbae et fortes et

generosaecordibus. gobelinos nec amauerunt nec timuerunt. cum illos subinde animaduertissent (quae res fuit rara, nam animalia ista non ederunt), in illos insiluerunt quos stridentes ad antra depulerunt et quos a quoquo malo, ab illis facto, prohibuerunt. gobelini aquilas oderant atque timuerunt, sed nec sedes excelsas attingere nec illas e montibus expellere potuerunt.

hoc nocte Dominus Aquilarum ualde curiosus fuit ad intellegendum quid ageret; itaque, multis aquilis ad eum uocatis, e montibus euolauerunt et lente circum et circum semper circumuolabant et deorsum et deorsum ad anulum luporum atque locum conuentus gobelinorum descendebant.

quae res, sane, fuit optima! terribiles res in illo loco actae sunt. lupi incensi in siluam effugerant, quam in locis nonnullis incenderant. fuit aestas alta, et in hoc latere orientali montium parum pluuiae per aliquum tempus fuerat. filices flauescentes, rami deiecti, acus pinuum alte aceruae, atque huc et illuc arbores mortuae mox flagrabantur. ignis circum apertum wargorum ubique exsiliebat. lupi-custodes autem arbores non relinquerunt. insani at irati circum truncos saliebant et ululabant, et nanis in lingua horribili maledicebant, cum linguis pendentibus et oculis nitentibus tam rubris atque ferocibus quam flammis.

repente gobelini clamitantes festinanter aduenerunt. putabant proelium commoueri cum hominibus-siluestribus;

sed mox quid uero actae essent intellexerunt. alii quidem consederunt atque ridebant. alii hastas agitabant et hastilia in scuta concrepabant. gobelini ignem non timent, et mox consilium habuerunt, quod ipsis iucundissimum esse uisum est.

alii lupos in unam manum contraxerunt. alii filices atque sarmenta circum arbores aceruauerunt. alii circumcursantes humum pedibus pulsauerunt et tutuderunt, atque tutuderunt et humum pedibus pulsauerunt, donec paene omnes flammae exstinctae sunt – sed ignem proximum arboribus in quibus nani fuerunt non exstinxerunt. quem ignem foliis et ramis mortuis et filicibus pascebant. mox anulum fumi atque flammae circum nanos habuerunt, anulum quem extrinsecus extendi non siuerunt; sed qui lente intrinsecus progressus est donec ignis currens *cremia sub arboribus aceruata lambebat. erat fumus in oculis Bilbonis, qui calorem flammarum sentire poterat; et per odorem gobelinos circum et circum in circulo saltantes sicut homines circum ignem media-aestatis uidere poterat. in exteriore anuli militum cum hastis et securibus saltantorum, lupi longinque obseruanter, aspicientes atque manentes, stabant.

is aud ire poterat gobelinos carmen horribile coepisse:

quinque aues quindecim arboribus
pennis pulsis flatibus flagrantibus!

aues sine alis quam insolitis!
quid agemus de iocosis paruulis?
aut torrete aut in aula coquite;
frictas, coctas calidas nunc edite?

tum destiterunt atque exclamauerunt: “euolate, aues paruae! euolate si possitis! de scendite, aues paruae, aut in nidis torrebitis! cantate, cantate aues paruae! quare non cantatis?”

“abite! pueri parui!” Gandalphus responde ns clamauit. “non est tempus nidificandi. porro pueri improbi, qui cum igne ludunt, poenas dabunt.” haec dixit ut illi irascerentur, atque illis monstraret se de illis non timere – quamquam re uera timebat, etiam magus fuit. sed eo non animaduerso illi cantare perseuerabant:

arde silua, filex arde,
sicut faces nunc incende
fiat lux in laeta nocte,
euge!

coque, torre, illos frige
barbae flagrent atque orbes
foede coquas pellem, crines,
sebum, ossa tum liquesce,
soluent illa
in fauilla
subter astra

fiat lux in laeta nocte,
euge!
eugepae!
eugae!

cum illa *eugae!* flammae sub arbore Gandalphi erant. quae in puncto temporis ad alteras diffundebantur. cortex inflammabatur, rami inferiores frangebantur.

tum Gandalphus ad uerticem arboris suis ascendit. splendorem subitum quasi fulgur e uirga sua emisit dum se parat de excelso usque inter hastas gobelinorum desilire. id finem eius fecerit, etiamsi desiliens quasi fulmen multos probabiliter necauerit. sed numquam saluit.

tunc cum maxime Dominus Aquilarum desuper deuolauit et, illo in unguibus suis rapto, afuit.

---

gobelini irati atque attoniti ululauerunt. magna uoce Dominus Aquilarum, cui Gandalphus iam dixerat, stridit. reuenerunt magnae aues, comites eius, et quasi ingentes umbrae nigrae descenderunt. lupi ululabant et dentibus frendebant; gobelini clamabant et iratissimi, hastibus grauibus in aerem frustra iactis, humum pedibus pulsabant. supra quos aquilae deuolauerunt; cursus ater alarum palpitantium illos uel humum feriuit uel longe depulit; ungues facies gobelinorum laniauerunt. aliae aues ad uertices arborum uolauerunt et nanos, nunc ascendentes quatenus umquam ire ausi sunt, rapuerunt.

miser paruulus Bilbo paene rursus relinquebatur! uix crura Dorii prehendere poterat, ut Dorius nouissimus omnium auferebatur; ita supra turbam et flagrantiam, Bilbone in aere pendente cum bracchiis paene frangentibus, una ascenderunt.

nunc longe infra gobelini atque lupi longe lateque in silua spargebantur. paruae aquilae supra locum pugnae circumuolitabant uerrebantque. flammae circum arbores repente super ramos altissimos surrexerunt. qui in ignibus crepitantibus consumebantur. fuit concitatio repentina scintillarum atque fumi. Bilbo modo in tempore effugerat!


mox lux flagrantiae fuit hebes infra, rubra micans in solo atro; et excelsi fuerunt in caelo, semper ascendentes in circulis fortibus uerrentibus. Bilbo uolatus illius numquam oblitus est, talariis Dorii adhaerescens. "bracchia mea, bracchia mea!" gemuit; sed Dorius "crura mea misera, crura mea misera!" ingemuit.

in temporibus optimis, loci excelsi Bilbonem uertigine affecerunt. insolitus fieri solebat si de margine rupis satis paruae despexit; atque scalae ei numquam placuerunt, arboribus non omissis (nam numquam effugere e lupis ei opus fuit antea). ita fingere possis quomodo nunc caput eius nataret cum is, inter digitos pedum pendentes, despiceret et terras tenebrosas late aperientes, quas hic et illic luce lunae in saxo quodam in latere collis aut in fluuio quodam in campis tactas, sub se uideret.

uertices pallidi montium propius ueniebant, cuspides

saxeae ab umbris nigris eminentes a luce lunae illuminatae. aestas aut non, frigidissimum esse uisum est. oculis clausis cogitabat num diutius tenere posset. tum fingebat quid ageret si non teneret. nauseabat.

modo in tempore ei uolatus finitus est, antequam bracchia sua defecerunt. talariis Dorii demissis, anhelans in suggestum durum nidi aquilae decidit. sine sermone ibi iacuit, et cogitationes fuerunt mixtura admirationis, quod ab igne seruatus erat, atque metus ne e loco angusto in umbras profundas in utroque latere decideret. hoc tempore sensit se insolitissimum esse quidem in capite suo, post facinora horribilia trium dierum proximorum cum paene nullis rebus, quae esui fuerunt, et cognouit se clara uoce dicere: “nunc intellego quomodo pars laridi sentiat ubi in furca e sartagine subito sublata in pluteum reponatur.”



montes nebulosi, in Occidentem e nido ad portam Gobelinorum prospectans

Dorium “non intellegis!” respondentem audiuit, “quod laridum scit se in sartaginem serius aut ocius rediturum esse; et spes est nos non rediturum. praeterea aquilae non furcae sunt!”

“minime! non omnino similes furibus – furcis, dico,” Bilbo inquit, resurgens et aquilam, quae propinqua assidebat, anxie aspiciens. cogitauit quid nugas alteras dixisset, et num aquila eas esse rusticas putaret. dicere aquilae rustice te non oportet, ubi tibi paruitas hobbiti est, et in nido alto eius nocte es!

aquila, nequaquam eum animaduertens, modo rostrum in saxo acuit et pennas compsit.

mox aquila alia inuolauit. “Dominus Aquilarum rogauit te ferre captiuos ad Magnum Pluteum,” clamauit, et abscessit. alia, Dorio in unguibus rapto, in noctem euolauit, Bilbone solo relicto. cui solum satis fortis fuit ut miraretur quid nuntius a “captiuis” uoluisset, et inciperet cogitare se uicissim sicut cuniculum rescissurum esse ad cenandum.

aquila rediuit et, illo in unguibus a tergo tunicae rapto, euolauit. nunc modo breui tempore uolabat. mox Bilbo, metu horrens, in pluteum latum saxeum in latere montis depositus est. ad quem fuit nulla uia, nisi uolando; nec uia de quo, nisi ex praecipiti saliendo. ibi omnes ceteros cum tergis ad murum montis sedentes inuenit. Dominus Aquilarum etiam ibi fuit, cum Gandalpho loquens.

uisum est fore ut Bilbo non tamen ederetur. apparuit magum et aquilam-dominum inter se paulum noscere, et etiam amicos inter se esse. re uera, Gandalphus, qui saepe in montibus fuerat, olim aquilis beneficium dederat cum dominum eorum a sagitta uulneratum sanauerat. itaque uides “captiuos” significauisse modo “captiuos a gobelinis liberatos”, neque captiuos aquilarum. dum Bilbo sermonem Gandalphi auscultat, intellexit se uerum quidem a montibus terribilibus postremo effugituros esse. ille cum Magna Aquila loquebatur de consiliis ad nanos et ipsum et Bilbonem longe auferendos ut ulterius in itinere trans

campos infra deponerentur.

Dominus Aquilarum negauit se ferre eos aliquo prope locos in quibus homines habitabant. “illi arcus ingentes taxeos in nos intendent,” inquit, “nam nos uenari oues suas putauerint. aliis temporibus recte iudicauerint. minime! laetamur nos fraudauisse gobelinos uenationis suae, et laetamur gratias tibi nostras referre, sed nos pro nanis non periclitabimur in campis meridianis.”

“ita sit,” Gandalphus inquit. “ferte nos quo et tam quatenus quam uultis! iam ualde fecistis pergratum nobis. sed interim ad extremam inopiae uenimus.”

“fame paene morior,” Bilbo tenui uoce parua inquit, quam nemo audiuit.

“quae res fortasse reficeri potest,” Dominus Aquilarum inquit.

serius ignem clarum in pluteo saxi, circum quem figuras nanorum coquentes et odorem iucundum torrentis facientes uidere potueris. aquilae cuniculos, lepores, et ouem paruam portauerant. nani omnia parauerunt. Bilbo adeo fessus fuit ut rem non iuuaret, praeterea cuniculos deglubendi aut carnem consecandi non satis peritus, nam eam accipere a lanione iam paratam ad coquendam solitus. Gandalphus quoque, parte sua in accendendo ignis perfecta, iacebat, quod Oinus et Gloinus *igniaria sua amiserant. (nani etiamnunc filis sulphuratis non utuntur.)

itaque facinora audacia Monium Nebulosorum finita sunt. mox Bilbo sensit et stomachum suum esse plenum

atque rursus commodum, et se aequo animo dormire posse, quamquam panem et butyrum magis quam carnem in baculis tostam sibi placuerint. se glomerato, in saxo duro dormiebat arctius quam umquam in lecto pennato in foramine suo domi dormiuerat. totam autem noctem de domu sua somniabat et in somnio per conclauia omnia errabat nescio quid quaerens quod nec inuenire nec quomodo appareretur meminisse potuit.

CAPVT SEPTIMVM

DEVERSORIA INSOLITA

mane proximo Bilbo cum sole matutino in oculis excitatus est. ad tempus uidendum et aeneum suum calefacendum exsiluit – tum cognouit se nequaquam domi esse. itaque consedit et frustra lauare atque se detergere uoluit. neutrum ei datum est, nec thea nec panis tostus nec laridum ientaculo fuit, modo ouilla frigida et cuniculus. postquam opus fuit se parare ad denuo discedendum.

hoc tempore in tergo aquilae ascendere et inter alas eius adhaerere situs est. aer super eum ruebat ut oculos suos clauderet. nani ualedicebant atque se remuneraturos Dominum Aquilarum si umquam possint promittebant, dum quindecim magnae aues e latere montis surgunt. sol adhuc prope marginem orientem rerum erat. mane erat frigidum, nebulae in uallibus atque lacunis erant et huc et illuc uerticibus fastigiisque collium circumuolutae. Bilbo uno oculo aperto ad aspiciendas aues iam in excelso esse et

orbem terrarum longe abesse et montes pone recidere in distantiam uidit. oculis iterum clausis artius adhaesit.

"noli uellicare!" aquila eius inquit. "non tibi opus est timere sicut cuniculo, etiamsi uni similior es. est mane serenum, uento paruo. quid est melius quam uolare?"

Bilboni placuerit dicere: "balneum calidum et postea ientaculum tardum in prato;" sed melius putauit se nihil dicere oportere, et manus paululum laxauit.

post nonnullum tempus apparuit aquilas uidisse locum, quo progressi sunt, etiam ex magna altitudine, nam in magnis spiris circumuolantes descendere coeperunt, quae res diu fecerunt, et postremo hobbitus oculos iterum aperuit. terra multo propior fuit, et sub eis fuerunt arbores, quae quercus et ulmi esse uisae sunt, et campi lati graminei, et flumen per omnia currens. sed e terra eminens, in medio cursu ipso fluminis, quod circum id se circumagebat, fuit saxum magnum, paene collis saxeus, quasi statio extrema montium, qui longe afuerunt, aut ingens pars milia passuum in campum a gigante nescio quo inter gigantes iacta.

celeriter nunc ad summum saxum aquilae singulae deuolauerunt et uectores suos deposuerunt.

"ualete!" clamauerunt, "quocumque ualetis, donec nidi uestri in fine itineris uos accipient!" quae est res urbana dicenda coram aquilis.

"uentus sub alis uos ferat quo sol nauigat et luna ambulat," Gandalphus respondit, qui responsum rectum

sciuit.

itaque digressi sunt. et quamquam Dominus Aquilarum in diebus posterioribus Rex Omnium Auium factus coronam aureum induit, et quindecim duces eius torques aureos (ex aureo, quod nani illis dederat, factos), Bilbo numquam illas iterum uidit – nisi excelse et procul in Proelio Quinque Exercituum. sed quod id in fine fabulae huius ueniet, nunc nihil amplius de eo dicimus.

fuit spatium planum in summo colle saxeo et uia penitus detrita cum multis gradibus descendentibus ad flumen, trans quod uadum ingentium planorum saxorum ad terram-gramineam ultra flumen tetendit. fuit antrum paruum (salubre quoddam cum humo calculoso) in imis gradibus prope finem uadi saxei. hic, comitibus collectis, quid ageretur locuti sunt.

"semper in animo habui ut uos tutos (si possem) trans montes ducerem," magus inquit, "et nunc bona cura *atque* fortuna id egi. profecto nunc multo ulterius ad orientem sumus quam umquam in animo habui ut uobiscum uenirem, nam quidem id non est facinus meum. fieri potest ut in eo iterum inspicerem antea finitum erit, sed interim negotium alterum habeo, quod mihi animaduertendum est."

nani, uultibus ualde afflictis, gemuerunt, et Bilbo lacrimauit. nam coeperant putare Gandalphum usque ad finem uenturum atque semper adfuturum esse ad illos in angustiis adiuuandos. "non cum maxime effugio," ille inquit. "diem aut duo plures uobis dare possum.

probabiliter uos e periculo praesenti iuuare potero, et mihi ipsi opus est auxilio paruo. nihil cibi habemus, nihil impedimentorum, nec mannos in quibus equitemus; et ubi sitis nescitis. nunc id uobis dicere possum. estis etiam nonnulla milia passuum ad septentrionem semitae quam secuti esse debuimus, si a transitu montis properanter non discesserimus. paucissimi homines in his regionibus habitant, nisi huc aduenerunt postquam ultimum tempus in quo hic adfui, nonnullos annos abhinc. est autem *aliquis* quem scio, qui non procul habitat. Aliquis ille scalas in magno saxo fecit – quod Carrec illud appellatum est, ut credo, ab illo, qui non saepe huc uenit, certe non in die, et non ex usu nostro est illum exspectare. re uera id periculosum fuerit. nobis eundum est ut illum inueniamus; et si conuentus noster bene geratur, puto me abesse et sicut aquilae uobis dicere 'ualete quocumque ualetis!'"

eum precati sunt ne ipsos relinqueret. aurum-draconis atque argentum atque gemmas ei obtulerunt, sed mentem conuertere negauit. "uidebimus, uidebimus!" inquit, "et puto me iam emeruisse aliquid auri-draconis – quando id ceperitis."

---

postea orare destiterunt. tum, uestibus depositis, in flumine lauerunt, quod uadosum et clarum et saxosum in uado fuit. cum in sole, qui nunc fortis calidusque fuit, siccaui essent, recreati sunt quamquam etiam in dolore et paulum esurientes. mox uado transito (hobbito portato) per

gramina longa atque uiridia et secundum lineas quercuum bracchiis-latis et ulmorum procerorum iter facere coeperunt.

“et quare id appellatur Carrec?” Bilbo rogauit, latus magi tegens.

“ille id appellauit Carrec, quod carrec est uerbum eius pro eo. ille talia appellauit carrecia, et ipsum est Carrec *illud*, quod est solum in propinqua domu eius et id bene scit.”

“quis id appellauit? quis id scit?”

“Aliquis ille, cuius dixi – uir maximus. cum uos introduxero omnes esse urbanissimi debebitis. uos lente introducem, bini, ut puto; et *debebitis* curare ne eum uexetis, aut quid acturum sit di immortales sciunt. ille iratus esse terrificus potest, quamquam satis benignus si mos eius geritur. nihilominus uos moneo eum facillime fieri iratum.”

nani, cum magum loquentem in hoc modo cum Bilbone audiuissent, congregati sunt. “estne homo ad quem nos nunc ducis?” rogauerunt.“potesne aliquem aequiorem animo inuenire? oportetne te rem clarius explicare?” – et cetera.

“ita, certe est! minime, non possum! et rem diligentissime explicabam,” magus iratus respondit. “si uobis plura scienda sunt, nomen eius est Beorn. est fortissimus, et mutator-pellis.”

“quid! uenditor quidam pellium, homo qui cuniculos

appellat *conies, cum pelles quorum in *sciuros non uertit?" Bilbo rogauit.

"pro deum fidem, minime, minime, minime, MINIME!" Gandalphus inquit. "noli stultus esse, Domine Baggins, si id facere potes; et in nomine omnis admirandi noli dicere uerba *uenditor pellium* iterum dum intra centum milia passuum domus eius es, nec stragulum, *umerale, amictorium, *integumentum manuum, nec aliquid tale infelix uerbum! ille est mutator-pellis. ille pellem suam mutauit: aliquando est ingens ursus niger, aliquando est magnus fortis uir crinibus nigris, ingentibus bracchiis et magna barba. multa plura dicere non possum, quamquam id satis esse oportet. alii ferunt illum esse ursum ortum a magnis et antiquis ursis montium, qui illic habitauerunt ante gigantes quam uenerunt. alii illum esse hominem ortum a primis hominibus, qui ante Smaug aut aliquae dracones quam in hanc partem orbis terrarum uenerunt, et ante gobelini quam e Septentrionibus in colles uenerunt, uixerunt. non dicere possum, quamquam puto nouissimam esse fabulam ueram. ille non talis est uir qualis interrogari potest.

"utique ille sub nullo carmine nisi suo est. in silua quercuum habitat et magnam uillam ligneam habet; dum uir est boues et equos, qui paene tam admirabiles sunt quam ipse, habet. qui pro eo laborant atque cum eo loquuntur. nec illos edit, nec feras uenatur nec edit. aluearia et aluearia apium magnarum ferocium habet, et plerumque

spuma lactis atque melle uiuit. dum ursus est longe lateque errat. olim eum uidi sedentem solum in summo illo Carrece nocte lunam, quae ad Montes Nebulosos cadebat, aspicientem, et eum audiui in lingua ursorum frementem: ‘dies ueniet quo illi perierint et ego redibo!’ ergo credo eum olim a montibus uenisse.”

Bilbo et nani nunc multa cogitanda habuerunt, et quaestiones plures non rogauerunt. prae quibus iter longum ambulandum adhuc fuit. pedibus fessis aduersum cliuum atque secundum conuallem gressi sunt. calidissimum factum est. aliquando sub arboribus requieuerunt, et tum Bilbo sensit se tam esurire ut glandes ederet, si ullae iam satis maturae fuerint quae humi decidissent.

fuit medio post meridie antequam animaduerterunt magnos globos florum florescere coepisse, omnia genera eadem una crescebant quasi sata erant. praecipue fuit *trifolium, globi fluitantes trifolii cristati atque trifolii purpurei, et spatia lata trifolii breuis albi dulcis odore-melle. in aere fuit bombizatio et stridor et bombus. apes occupatae ubique erant. et quantae apes! tanta huius modi Bilbo numquam uiderat.

“si quaedam me pungat,” ille cogitauit, “altero tanto maior quam sum distendar!”

illae maiores quam crabrones erant. fuci maiores quam pollex tuus erant, multum, et baltei flaui in corporibus atris quasi aurum igneum fulgebant.

“propius sumus,” Gandalphus inquit.“in margine pascuorumapium eius sumus.”

---

paulo post ad cingulum quercuum procerarum et antiquissimarum aduenerunt, ultra quas ad saepem uepris altam per quam nec uidere nec perrumpere potuisti.

“uos oportet hic manere,” magus nanis inquit; “et cum uocauero aut sibilauero me sequi incipite – uiam qua iero uidebitis – sed bini solum, cauete, circum quinque momenta temporis inter paria singula. Bombur est pinguissimus ut duos faciat, illum solum et nouissimum uenire oportet. ueni, Domine Baggins! est porta in aliquo loco illic.” his dictis secundum saepem abscessit, hobbitum pauidum secum ferens.

mox ad portam ligneam aduenerunt, altam et latam, ultra quam hortos et globum aedificiorum humilium ligneorum uidere potuerunt, aliqua stramento tecta et tignis informibus facta; horrea, stabula, tuguria, et domum longam humilem ligneam. intrinsecus ad latus meridionale saepis magnae fuerunt ordines atque ordines aluealiorum cum fastigiis tintinnabulorum figuris stramento factis. sonitus apium ingentium huc et illuc uolantium atque intrinsecus et extrinsecus reptantium aerem implebat.

magus et hobbitus portam ponderosam crepantem pulsu aperuerunt et semitam latam domum secuti sunt. equi aliqui, nitidissimi atque bene curati, lento cursu trans gramina appropinquauerunt et eos faciebus ualde

intelligentibus arte intuiti sunt; tum quadrupedantes ad aedificia ierunt.

"illi ierunt ut huic narrarent de aduentu hospitum," Gandalphus inquit.

mox ad aulam quamdem aduenerunt, tres muri cuius a domu lignea et duobus alis eius longis formati sunt. magnus truncus quercus in medio iacebat, iuxta quem rami multi decisi erant. ingens uir densa nigra barba et crinibus, magnis bracchiis nudis et cruribus musculis nodis prope stabat in tunica lanea usque ad genua uestitus, magna secure nitens. equi naribus ad umerum eius eum assistebant.

qui "ugh! illi adsunt!" equis inquit. "periculosi non esse uidentur. discedatis!" magnum risum uolubilem risit et, secure deposita, appropinquauit.

"qui estis et quid uultis uos?" dure quaesiuit, in fronte eorum stans atque super Gandalphum alte eminens. Bilbo, sane, facile per crura eius ambulare potuerit capite non demisso ad fimbrias tunicae fuluae uitandas.

"sum Gandalphus," magus inquit.

"numquam eum audiui," uir fremuit, "et quid est hoc salaputium?" pronus superciliis fruticosis nigris contractis ad hobbitum inquit.

"id est Dominus Baggins, hobbitus quidem gentis bonae et famae sanctae," Gandalphus inquit. Bilbo caput submisit. nullum petasum, quem deponeret, habuit et anxie orbiculorum multorum amissorum conscius fuit. "magus

sum," Gandalphus continuabat. "ego te audiui, etiamsi tu non me audiuisti; sed fortasse meum consobrinum bonum Radagastum, qui prope marginem Meridionalem Mirksiluae habitat, audiuisti?"

"ita; non malus homo, etiamsi magus est, ut puto. eum aliquando uidere solebam," Beorn inquit."nunc qui sitis cognosco, aut quos esse dicatis. quid uultis?"

"esto, tibi uera dico, impedimenta nostra amisimus atque uiam nostram paene amisimus, et nobis aliquanto auxilio opus est, aut consilio saltem. mihi liceat dicere nos a gobelinis in montibus aliquanto uexatos esse."

"gobelini?" magnus uir minus dure inquit. "o ho, itaque uos uexati estis ab *illis*, uero? quare ad illos appropinquauistis?"

"id non in animo habuimus. nos imparatos nocte in transitu, per quem nobis transeundum fuit, inciderunt, dum e Terris ultra Occidentalem in has regiones egredimur – est fabula longa."


"tum te intrare oportet ut aliquid illius mihi dicas, si illa totum diem non occupabit," uir inquit, illos ducens per ianuam atram, quae ex aula in domum aperta est.

illi, eum secuti, inuenerunt se esse in atrio lato cum foco in medio. fuit aestas, nihilominus ignis-ligneus ardebat et fumus ad trabes atratas ascendebat exitum per aperturam in tecto quaerens. per hoc atrium obscurum, quod solum ab igne atque foramine supra eum illuminabatur, transierunt et per alteram ianuam minorem uenerunt in quasi subdiale a

pilis ligneis singulis truncis factis suffulctum, quod ad meridiem aspectabat et adhuc calidum erat et plenum lucis solis occidentis, quae in eo obliquata est, et aurea in hortum plenum florum, qui usque ad gradus aduenerunt, cecidit.

hic in subselliis ligneis considerunt dum Gandalphus fabulam suam incipit, et Bilbo crura sua pendentia uibrat et flores in horto aspicit, cogitans quae nomina eorum sint, quia numquam dimidiam partem eorum antea uidit.

“ego super montes transibam cum amico aut duobus …” magus inquit.


AULA BEORNIS

“aut duobus? unum solum atque paruulum quemdam uidere possum,” Beorn inquit.

“esto, tibi uera dico, non mihi placuit te molestare cum multis nostris donec inueneram num occupatus esses. uocabo, si mihi licet.”

“perge, uoca!”

ita Gandalphus sibilum longum acutum emisit, et mox Thorinus atque Dorius circum domum secundum semitam horti uenerunt et capitibus profunde demissis ante eos steterunt.

“te significasse unum aut tres intellego!” Beorn inquit. “sed illi non sunt hobbiti, sunt nani!”

“Thorinus Scutumquerceum, tibi seruio! Dorius, tibi seruio!” duo nani capitibus iterum demissis inquiunt.

“seruitute uestra mihi non opus est, uobis gratias,” Beorn inquit. “sed credo uos opus esse mea. nanos non ualde amo; sed si uerum est te esse Thorinum (Thraini filium, Throris filii, ut puto), et comitem tuum esse honestum, et uos esse gobelinorum inimicos nec iniuriam in terris meis agere – quid agitis, quaeso?”

“illi iter faciunt ad terram patrum suorum uisitandam, in oriente ultra Mirksiluam,” Gandalphus interiecit, “et est omnino casu nos etiam in manibus tuis esse. ab Alto Transitu, qui nos ad uiam in meridie terrae tuae tulisse oportuit, transibamus, cum gobelini mali nos aggressi sunt – sicut ego tibi narraturus.”

“tum perge narrare!” Beorn inquit, qui numquam ualde

urbanus fuit.

"erat tempestas terribilis; gigantes-lapidei foris erant saxa iacientes, et in capite transitus refugium in antro quaesiuimus, hobbitus et ego et nonnulli comites …"

"dicisne duos esse nonnullos?"

"minime. re uera magis quam duo erant."

"ubi sunt? necati, esi, domum discessi?"

"minime. illi non aduenisse uidentur postquam sibilaui. uerecundi, puto. uides, ualde ueremur ne tu nos plures hospitio accipiat."

"perge, iterum sibila! conuiuium erit mihi, ita uidetur, et non multum interest quod unus aut duo plures adsunt," Beorn fremuit.

Gandalphus iterum sibilauit; sed paene ante is destitit quam Norius et Orius adfuerunt, nam, si tu meministi, Gandalphus illis dixerat ut bini quaque quinque momenta temporis uenirent.

"saluete!" Beorn inquit. "celerius uenistis – ubi se abdidistis? uenite, e latibulo exsilientes!"

"Norius, tibi seruio, Orius, tibi …" dicere coeperunt; sed Beorn eos interpellauit.

"uobis gratias! cum auxilium uestrum uoluero, id rogabo. considite ut narrare fabulam nostram pergamus aut hora cenandi erit antequam illa finita est."

"cum primum dormiebamus," Gandalphus continuabat, "rima quaedam in tergo antri aperta est; gobelini egressi hobbitum et nanos et copiam mannorum rapuerunt –"

"copia mannorum? quid eratis uos – circusne peregrinus? uel multas bonas ferebatis? uel semper dicis sex esse copiam?"

"minime! re uera, magis quam sex manni erant, nam magis quam sex nostri erant – esto, hic sunt duo plures!" tum maxime Balinus et Dwalinus apparuerunt capitibus adeo demissis ut barbae suae solum saxeum uerrent. primum, magnus uir supercilia contrahebat, sed illi omnibus uiribus comissimi se gesserunt, nutantes et se flectentes et capita demittentes et cucullos agitantes ante genua (de more uero nanorum), donec is supercilia contrahere destitit et cachinnabilis cachinnauit: nam, aspectu tam ridiculo apparuerunt.

"copia, recte dicta," inquit. "quaedem bona ridicula. intrate, mei homines iucundi, et quae nomina *uobis* sunt? seruitutem uestram nunc non uolo, modo nomina tua; et tum considite et mouere desistite!"

"Balinus et Dwalinus," offendi non audentes inquiunt, et aspectibus attonitis in solo statim sederunt.

"nunc iterum perge!" Beorn mago inquit.

"ubi fui? ita – ego *non* raptus sum. cum fulgore gobelinum aut duos necaui –"

"bene!" Beorn fremuit, "ita est aliquid boni esse magus."

"– et per rimam lapsus sum antequam clausa est. deorsum eos secutus sum in atrium princeps gobelinis atratum. Magnus Gobelinus cum triginta aut quadraginta

custodibus armatis adfuit. secum cogitaui, ‘etiamsi omnes inter se non catenati sint, quid duodecim contra multos agere possint?’”

“duodecim? id est primum tempus in quo octo nominari duodecim audiui. habesne etiam plures qui non iam e latibulis exsiluerunt?”

“maxime, nunc bini plures hic esse uidentur – Filius et Kilius, credo,” Gandalphus inquit, ut duo nunc apparuerunt et capitibus demissis subridentes steterunt.

“iam satis est!” Beorn inquit. “considite et tacite! nunc perge, Gandalphe!”

ita Gandalphus fabulam narrare perrexit, donec ad pugnam in tenebris aduenit, portae inferioris inuentum, et horrorem eorum cum Dominum Bagginsem amissum esse intellexerant. “se numeratis hobbitum abesse repperimus. solum quattuordecim superfuerunt!”

“quattuordecim! id est primum tempus in quo decem minus unum esse quattuordecim audiui. uisne nouem, alioquin non iam nomina omnia copiae tuae mihi dixisti.”

“sane, Oinum et Gloinum non iam uidisti. et di me ament! hic sunt. spero te molestantibus ignotum iri.”

“o utinam omnes adsimus! festinate! uenite, uos duo, et considite! sed attende, Gandalphe, etiamnunc solum te ipsum et decem nanos et hobbitum, qui amissus est, habemus. id solum est undecim (uno amisso addito) neque quattuordecim, nisi magi aliter ab aliis numerant. sed nunc, quaeso, fabulam narrare perge.” Beorn res non

patefecit magis quam potis erat, sed re uera ualde studium tenere coeperat. uides, in diebus antiquis partem ipsam montium, quam Gandalphus describebat, cognoscerat. cum reditum hobbiti et lapsum eorum secundum decliue-saxeum et anulum luporum in siluis audiuisset, nutauit et fremuit.

cum Gandalphus ad ascensionem in arbores cum omnibus lupis infra aduenisset, ille surrexit et perambulans mussabat: "utinam ego illic adfuerim! magis quam pyrobolos chartaceos illis dederim!"

"ita est," Gandalphus inquit, ualde gaudens fabulam suam bene commouere illum. "rem gessi quam maxime potui. ibi eramus, cum lupis insanientibus sub nobis, et silua in locis nonnullis ardenti, cum gobelini e collibus descenderunt et nos inuenerunt. laeti clamauerunt et carmina ad nos ludificandos cantauerunt. *quinque aues quindecim arboribus ...*"

"di immortales!" Beorn fremuit. "noli fingere gobelinos numerare non posse. possunt. duodecim non esse quindecim sciunt."

"itaque ego scio. adfuerunt Bifur et Bofur praeterea. illos introducere antea non conatus sum, sed hic sunt."

Bifur et Bofur introierunt. "ego quoque!" Bombur in tergo cum flatu appropinquans anhelauit. pinguis fuit, et porro iratus quod nouissimus relictus est. manere quinque momenta temporis recusauit, itaque statim post duos alteros secutus est.

“ita, nunc uestri sunt quindecim; et quia gobelini numerare possunt, puto id esse omnes qui in arboribus adfuerunt. nunc fortasse fabulam sine interruptionibus ulterioribus perficere poterimus.” tum Dominus Baggins intellexit quam callidus Gandalphus fuisset. re uera interruptiones illae effecerant ut Beorn magis studium fabulae tenuisset, et fabula illa eum prohibuerat ne nanos sicut mendicos suspectos statim dimisisset. ille homines domum suam numquam inuitauit, si id uitare potuit. paucos amicos, qui longius habitabant, habuit; et magis quam bini horum semel domum suam numquam inuitauit. nunc quindecim hospites in atrio suo sedentes habuit!

tempore quo magus fabulam suam perfecerat et quomodo ab aquilis seruati essent et ad Carrec lati essent narrauerat, sol post cacumines Montium Nebulosorum occiderat et umbrae erant longae in horto Beornis.

qui “fabula ualde bona!” inquit. “optima, quam diu audiui. si mendici omnes talem bonam fabulam narrare potuerint, me esse benigniorem inueniant. fortasse tu omnia fingas, sane, sed cenam pro fabula nihilominus meres. cenemus!”

“ita uolumus!” inquiunt una. “tibi gratias maximas!”

---

in aula nunc omnia tenebrosa erant. Beorn manus complosit et quattuor manni albi pulchri atque nonnulli magni canes raui corporibus longis ingressi sunt. quibus Beorn aliquid in lingua insolita quasi sonitibus animalium

in orationem uersis dixit. qui iterum egressi mox reuenerunt in oribus faces ferentes, quas igne inflammatas in mutulis humilibus in columnis aulae circum focum medium posuerunt. canes in posterioribus pedibus stare, quandocumque uoluerunt, et aliqua cum prioribus pedibus ferre potuerunt. cito tabulas atque fulcimenta e parietibus utrimque extulerunt, quas iuxta ignem statuerunt.

tum baa – baa – baa! audiebatur, et nonnullae oues niueae magno ariete colore carbonis ducente ingressi sunt. alia pannum album figuris animalibus praetextum ferebat; aliae in tergis suis latis fercula cum pateris atque patellis et cultris atque cochlearibus ferebant, quae canes ceperunt et cito in mensas-fulcimenta posuerunt. quae fuerunt humillimae, satis humiles etiam ut Bilbo commode sederet. iuxta quas mannus quidam dua subsellia sedibus humilibus, fundis latis scirpeis et pedibus breuibus densis, Gandalpho et Thorino propulit, dum sellam eiusdem generis magnam nigram Beornis (in qua magnis cruribus longe proiectis sub mensa sedebat) in fine extremo ponit. hae fuerunt omnes sellae quas ille in aula habuit, et ueri simile est eas sicut mensas humiles esse in usum animalium mirabilium, quae eum seruauerunt. in quibus ceteri sederunt? qui non ex memoria depositi sunt. ceteri manni introierunt partes tignorum in figuris tympanorum reuoluentes, quae leuata atque expolita etiam Bilboni satis humilia fuerunt; itaque mox omnes apud mensam Beornis sedebant, neque aula tale conuiuium per multos annos

longos uiderat.

ibi cenauerunt, aut tarde pranderunt, in tali modo quali non fecerant ex quo e Domu Familiari Vltima discesserant et Elrondi ualedixerant. lux facum et ignis circum eos coruscabat, et in mensa erant duae candelae cereae altae rubrae. per omnem tempus edendi, Beorn uoce profunda undulata fabulas de terris uastis in hoc latere montium narrabat, et praeterea de silua atra atque periculosa, quae longe ad Septentrionem et Meridiem iacebat, cursu die ante eos, uiae ad Orientem obstante, saltu terribili Mirksiluae.

his auditis, nani barbas agitauerunt, nam sciuerunt sibi mox in siluam illam iter faciendum esse quam, post montes, esse periculum pessimum per quod sibi transeundum esse antequam ad arcem draconis aduenirent. postquam cenauerunt, fabulas suas narrare coeperunt, sed Beorn somnolentus fieri uisus est et paulo eos animaduertit. de auro atque argento atque gemmis atque rebus a fabris fabricatis multum dixerunt, et Beorn tales res curare non uisus est: erant in aula nullae res aureae aut argenteae, et paucae sane praeter cultros a metallo fabricatae sunt.

diu apud mensam cum poculis ligneis mulsi plenis sederunt. foris nox tenebrosa aduenit. ignibus in media aula ab tignis nouis aedifcatis et facibus exstinctis etiam in luce flammarum saltantarum cum columnis domus post illos tenebrosis et altis stantibus ad uertices sicut

arboribus siluae sederunt. utrum magia erat annon, Bilboni uisum est se audire sonitum in trabibus mouentem sicut uentum in ramis et gemitum bubonum. mox somnolentus nutare coepit et uoces hebetes fieri uisae sunt, donec repente excitatus est.

magna ianua striderat et strepitu aperta erat. Beorn aberat. nani poplitibus alternis genibus impositis humi circum ignem sedebant, et mox cantare coeperunt. uersus aliqui erant huic similes, sed multi plures erant, et diu cantabant:

deserta uentus marcida transigit,
sed frondeis in saltibus est quies,
qua per dies noctesque reptant
in tenebris tacitis mala atra.

de montibus nunc frigidus aduenit
uentus uolutans undique fluctuans;
fremere rami, silua luxit
frondibus hic et ubique stratis.

uentisque pulsis ab Orientibus
ad solis Ortus, silua quiescitur;
sed trans paludes liberatae
cum strepituque fragore uoces.

flexis ab aura crinibus herbidis,
ultra crepantes prorsus harundines,

super paludes subter astra
quis secat et laceratque nimbos.

solumque Montem praeterit irritum,
draconis antrum desuper incidit;
hic rupibus caliginosis
flectitur aere fumus ater.

terris relictis, spiritus euolat
noctu peragrans alta per aequora;
nunc nauigat remisque luna
aeriis salientia astra.

Bilbone iterum nutare incipiente, subito surrexit Gandalphus.

qui "nunc est dormiendum," inquit, "– nobis, sed non, puto, Beorni. in hac aula arte atque tute requiescamus, sed cauete ne obliuiscamini quid Beorn dixisset antequam a nobis discessit: nolite foris errare donec sol ortus est, aut in periculum uocabimini."

Bilbo inuenit lectos iam depositos esse ad latus aulae, in quasi suggesto sublato inter columnas et parietem exteriorem. ei erat *culcitula straminea atque stragula lanata. in quibus laetissimus se inuoluit, etsi aestas fuit. igne deficiente obdormiuit. nihilominus nocte experrectus est; ignis in fauillas paucas ceciderat, nani et Gandalphus, ita e spirantibus uisum est, dormiebant; macula alba in solo e luna alta uenit, quae per foramen-fumum in tecto

despiciebat.

foris erat fremitus, et sonitus sicut magnum animal in foribus rixabatur. Bilbo admiratus est quid esset, et num Beorn in figura incantata esset, et num ille ursus introiret ut eos necaret. sub stragulis se mersit et caput suum celauit, tum, metibus neglectis, iterum obdormiuit.

---

mane plenum fuit cum ex somno excitatus est. nanus quidam trans eum iacentem in umbris ceciderat, et contusus e suggesto in solum deuolutus erat. fuit Bofur, qui de re mussabat cum Bilbo oculos aperuit.

"excita, tu ossibus pigris," ille inquit,"aliter nullum ientaculum tibi supererit."

exsiluit Bilbo. "ientaculum!" clamauit. "ubi est ientaculum?"

"maxima pars intus nos est," ceteri nani responderunt, qui circum aulam deambulabant; "sed quod superest extrinsecus in subdiali est. cum sol ortus esset Beornem quaesiuimus; sed nec ullum uestigium illius uspiam est, tametsi cum primum egressi sumus ientaculum instructum esse inuenimus."

"ubi est Gandalphus?" Bilbo rogauit, quam celerrime aliquid cibi quaerens.

"o! in locis nonnullis foris," ei inquiunt. sed per totum diem nullum uestigium magi uidit donec uesper fuit. paulo ante solis occasum ille in aulam ambulauit, in qua hobbitus et nani cenabant, animalibus mirabilibus

seruientibus, ut per totum diem seruiuerant. de Beorne nulla aut uiderant aut audierant a nocte priore, et de re dubitabant.

"ubi est hospes noster, et ubi totum diem *tu* solus eras?" omnes clamauerunt.

"una quaestio in uno tempore – et nullae donec cenaui! non morsum habui ex ientaculo."

demum Gandalphus, patella urceoque expulsis – duos panes totos (butyro multo et melle et flore lactis concreto) comederat et quadrans minime mulsi biberat – fumisugium extraxit. "primum ad quaestionem secundam respondero," inquit, "– sed di me ament! hic est locus splendidus ad coronas fumi emittendas!" re uera, per longus tempus nihil magis ab illo non elicere poterunt, adeo occupatus est in coronas fumi emittendo, quae columnas aulae circumerrarent, mutando illas in omnibus generibus colorum figurarumque, et demum cogendo illas ut inter se e foramine in tecto sequerentur. nimirum ab exteriore apparuit illas insolitissimas uideri, una post unam in aerem emergens, uiridis, caerulea, rubra, aurea-glauca, fulua, alba; aliae magnae, aliae paruae; paruae per magnas errantes et in figuris-octauis se iungentes, et quasi grex auium in distantiam egredientes.

"uestigia ursorum eligi," demum ille inquit. "nimirum conuentus ordinarius ursorum fuit nocte priore hic foris. mox uidi Beornem non posse illa omnia facere: erant nimis multa eorum, et quoque magnitudinum uariarum.

mihi licet dicere ursos paruos, ursos magnos, ursos usitatos, et ursos ingentes giganteos adesse, omnes foris saltantes a solis occaso paene ad solis orientem. a partibus paene omnibus uenerant, praeter ab occidente super flumen, a Montibus. ad illam partem unum uestigium solum tetendit – nulla aduenerunt, solum ab hoc egredientia. quae usque ad Carrec secutus sum. ibi in flumen euanuerunt, sed aqua ultra saxum nimis alta et fortis fuit ut non transirem. est satis facilius, si meministis, a hac ripa ad Carrec transitu ire, sed in latere altero est rupes quae ex alueo turbato exsurgit. multa milia passuum mihi ambulandum fuit antequam locum inueni in quo flumen fuit satis latum uadosumque mihi ut pedibus transirem et narem, et retrorsus iterum multa milia passuum donec uestigia iterum inueni. tunc tempus fuit tardius ut illa non longe sequerer. quae recto itinere ierunt ad siluaspinuum in latere oriente Montium Nebulosorum, ubi conuiuium iucundum paruum cum wargis nocte ante ultimam habuimus. et nunc puto me quaestioni primae uestrae etiam respondisse," Gandalphus finem fecit, tum tacitus diu sedit.

Bilbo putauit se quid magus uellet intellegere. "quid agemus," clamauit, "si ille omnes wargos atque gobelinos huc deduxerit? nos omnes capiemur atque necabimur! putaui te dixisse illum non amicum esse illis."

"ita dixi. et noli fatuus esse! te oportet cubitum ire, ingenia tua sunt somnolenta."

hobbitus sensit se admodum opprimi, et quia nihil agendum esse uisum est, sane cubitum iit; et dum nani carmina cantant obdormiuit, etiam in capite suo de Beorne admirans, donec somnum somniauit de ursis nigris sexcentis saltantibus saltationes graues lenesque circum et circum in luce lunae in atrio. tum experrectus est dum ceteri dormiunt, et radentem eandem, rixantem, odorantem atque frementem ut ante audiuit.

mane proximo omnes a Beorne ipso excitabantur. qui “ita hic sunt omnes adhuc!” inquit. hobbitum sustulit et risit: “te non deuoratum esse a wargis aut gobelinis aut ursis malis uideo”; et subuculam Domini Bagginsis multum irreuenter fodicauit. “paruus cuniculus denuo fit satis pinguis per panem atque mel,” cachinnauit. “ueni ut plures habeas!”

itaque omnes ad ientaculum cum illo ierunt. Beorn uice uersa fuit iucundissimus; sane ualde hilaris esse uisus est et fabulas eius iocosas riserunt omnes; neque illis longe admirandum fuit quo uenisset aut quamobrem illis suauis esset, nam ipse illis dixit. super flumen uenerat et usque in montes – a quo conicias eum iter celeriter facere posse, in figura ursi utique. a nemore luporum incenso mox inuenit partem fabulae eorum ueram esse; sed plura quam id inuenit: wargum et gobelinum ceperat, ex quibus nuntium acceperat: manus gobelinorum adhuc cum wargis nanos uenabantur, et iratissimi erant propter Magnum Gobelinum mortuum, et porro propter narem ducis luporum incensam

et multos seruos eius principes ab igne magi mortuos. cum illos coegisset ita e i dixerunt, sed plura mala esse quam illa agitata coniecit, et mox impetum magnum ab exercitu gobelinorum omni cum lupis-sociis in terras a montibus umbratas facere, ut nanos inueniant, aut homines et animalia, qui ibi habitant et quos nimirum conseruare illos putauerunt, ulciscantur.

“tua fabula fuit bona,” Beorn inquit, “quae mihi etiam melius placet nunc illam esse ueram scio. tu mihi ingoscas quod fidei tuae non credidi. sed si iuxta Mirksiluam habitares, tu fide i neminis non crederes, cuius tam bene quam fratem aut meliorem non nouisti. nihilominus, solum mihi licet dicere me domum quam celerius festinare ut uos esse tutos uideam, et uobis offere tantum auxilium quantum potis sum. post hoc, de nanis melius cogitabam. Magnus Gobelinus necatus, Magnus Gobelinus necatus!” secum ferociter cachinnabat.

“quid fecisti de gobelino atque wargo?” Bilbo repente rogauit.

“ueni ut uideas!” Beorn inquit, quem circum domum secuti sunt. caput gobelini extra portam fixum est et paulo ultra pellis wargi ad arborem confixa est. Beorn erat hostes ferox. sed nunc eis amicus fuit, itaque Gandalphus sapienter putauit se illi omnem fabulam suam atque rationem itineris narrare, ut maximum auxilium, quod offere posset, habeant.

haec sunt res, quas is pro illis facere pollicitus est: se

mannos omnibus prouisurum esse, et equum Gandalpho, iter ad siluam faciendi causa, et illos oneraturum, ut per hebdomades cum cura sustineantur, cum satis cibi collecti ut quam facilius feratur – nuces, farinam, ollas frugum siccatarum opertas, et fictilia rubra mellis, et liba bis cocta, quae longum tempus bonum condi possint, et in paruo cuius longe iter facere poterunt. de faciendo quorum fuit una rerum arcanarum eius; sed mel in eis inerat, sicut in plurimis cibis suis, et bona edi erant quamquam effecerunt ut quidam sitiat. aquam, dixit, portari illis non opus esse in hoc latus siluae, nam flumina atque fontes secundum uiam erant. "sed cursus uester per Mirksiluam est ater, periculosus et difficilis," inquit. "aqua ibi non facilius inueniri potest, nec cibus. tempus non iam adest nucibus (quamquam id quidem afuerit et abierit ante ad latus alterum quam adueneritis), et nuces sunt paene sola quae ibi ad cibum apta; illic ferae sunt atrae, insolitae, et saeuae. pelles ad aquam portandam uobis prouidebo, et arcus aliquos sagittasque uobis dabo. sed non multum dubito quin aliqua, quae in Mirksilua inuenietis, insalubria edi aut bibi sint. ibi est flumen unum, scio, nigrum atque forte, quod semitam transit. nolite ex eo bibere nec in eo lauare; nam audiui id quoddam incantamentum atque magnum somnum et immemoriam ferre. et in umbris hebetibus loci illius non puto uos ferituros esse aliqua, aut salubria aut insalubria, ne e semita erretis. id uobis NON AGENDUM EST, non pro causa aliqua.

“id est omne consilium, quod uobis dare possum. ultra marginem siluae uos non multum adiuuare possum; a uobis felicitati atque uirtuti confidendum est, et cibo, quem cum uobis mitto. ad portam siluestrem, uos mihi rogandi sunt ut equum meum et mannos remittatis. cupio autem cursum uestrum esse secundum, et domus mea aperta uobis est, si umquam ab hac uia iterum reueniatis.”

illi gratias egerunt, sane, cum capitibus frequenter demissis atque cucullis agitatis atque multis “tibi seruio, o domine aularum latarum lignearum!” sed a uerbis eius animi descensi sunt, et omnes senserunt facinus esse multo magis periculosum, quam putauerant, quia per omnem tempus, etiamsi periculis uiae praeteruectis, in fine draco ipsos exspectabat.

per mane totum ad comparationes occupati sunt. paulo post meridie cum Beorne postremum cenauerunt, et post cenam quadrupedes, quos ille eis commodabat, conscenderunt, et multum ualedicentes per portam eius cursu auecti sunt.

cum primum a saepibus altis ad orientem terrarum eius saeptarum abscesserunt, iter ad septentrionem uerterunt, tum ad septentrionem-occidentem contenderunt. consilio eius, uiam siluestrem principem ad meridiem terrae eius non iam petebant. si transitum secuti essent, uia illos duxerit secundo flumine a montibus, quod milia passuum ad meridiem Carrecis magno flumini iungitur. ibi erat uadum profundum, quod transierint si mannos suos adhuc

habuerint, ultra quod semita ad oram siluae et limen uiae-siluestris ueteris ipsae tetendit. Beorn autem illos monuerat uiam illam saepe usui esse gobelinis, dum uia siluestris ipsa, ita ille audiuerat, obsita et desueta in finem orientem esse et ad paludes imperuias, in quibus semitae longum tempus amissae erant, tendere. apertum cuius orientale longe ad meridiem Montis Soli semper fuisse, ut iter longum difficileque illis ad septentrionem superfuerit postquam ad latus alterum aduenerint. ad septentrionem Carrecis, margo Mirksiluae propius uergebat ad oras Magni Fluminis, et quamquam illic Montes quoque uergebant, Beorn monuit illos a hac uia iter facere; nam in loco quodam dies aliquos cursu ad septentrionem Carrecis erat porta semitae minus cognitae per Mirksiluam, quae paene ad Montem Solum directe tendebat.

“gobelini,” Beorn dixerat, “Magnum Flumen transire centum milia passuum ad septenrionem Carrecis non audebunt, nec domum meam appropinquare – bene defenditur est nocte! – sed celeriter equitetis; nam si mox impetum faciant, illi flumen ad meridiem transibunt et marginem omnem siluae uerrent ut uos intercluderent, et wargi celerius quam manni currunt. nihilominus, tutiores estis ad septentrionem euntes, etiamsi uos propius ad arces eorum redire uidemini, nam id est quod minime exspectabunt, et illis equitatus longior erint ad uos capiendos. abite nunc quam celerrime potestis!”

id est quare nunc taciti equitabant, citatis mannis

contendentes ubicumque terra erat graminea atque plana, cum montibus tenebrosis in sinistra, et procul linea fluminis cum arboribus semper appropinquantibus. sol solummodo ad occidentem uerterat cum profecti erant, et usque ad uesperum aureus in terra circum eos iacebat. magnum fuit cogitare de gobelinis sequentibus in tergo, et cum multa milia passuum inter se et domum Beornis posuissent, rursus loqui et cantare, et semitae siluestris atrae, quae in fronte eos exspectabat, obliuisci incipiebant. uesperi autem, crepusculo aduenientе et uerticibus montium contra solis occasum minantibus, castra et stationem posuerunt, et plurimi trepidi dormiuerunt cum somniis in quibus ululatus luporum uenantium atque clamores gobelinorum uenerunt.

nihilominus mane proximum rursus clarum atque serenum diluxit. erat nebula quasi-autumnalis humi cana et aer frigida, sed mox, sole ortu rubro in Oriente, nebulae euanuerant, et dum umbrae etiam longae sunt, rursus discesserunt. ita nunc dies duos plures equitauerunt, semper nulla nisi gramen et flores et aues et arbores diffusas uidentes, et subinde greges paruos *ceruorum elaphorum, qui gramen carpebant aut meridie in opaco sedebant. aliquando Bilbo cornua ceruorum e graminibus longis eminentia uidit, et primo putauit illa esse ramos mortuos arborum. uesperi tertio illo adeo progredi cupiebant, nam Beorn dixerat eos ad portam-siluestrem mature quarto die aduenturos esse, ut etiam post

crepusculum et in noctem sub luna prorsus equitarent. dum lux hebescit, Bilbo putauit se uidere ad dexteram, aut ad sinistram, formam umbrosam ursi magni secundum cursum eundem uagantis. sed si de eo mentionem facere Gandalpho audebat, magus solum inquit: “tace! noli animaduertere!”

postridie ante solis ortum profecti sunt, quamquam nox sua breuis fuerat. cum primum lux fuit, siluam tamquam appropinquantem, ut eis obuiam iret, aut eos expsectantem sicut murum nigrum fronte contracta ante eos uidere potuerunt. terra accliuis et accliuis fieri coepit, et hobbito uisum est silentium circumire in eos coepisse. aues minus cantare coeperunt. ceruorum non amplius fuerunt; nec etiam cuniculi uideri potuerunt. post meridie ad limina Mirksiluae aduenerunt, et paene sub ramis magnis impendentibus arborum eius exteriorum requiescebant. trunci quarum magni et nodosi erant, rami torti, folia atra et longa. in quibus hedera crescebat et humi diffundebatur.

“itaque, hic est Mirksilua!” Gandalphus inquit. “maxima siluarum orbis Septentrionalis. spero aspectum eius uobis placere. nunc manni praestantes, quos mutuati estis, uobis remittendi sunt.”

de hac re nani ad mussantem inclinabant, sed magus illis dixit illos stultos esse.“Beorn non tam longe abest quam putare uidemini, et praeterea uos oportet promissa uestra seruare, nam ille est hostis malus. oculi Domini Bagginsis acutiores sunt quam uestri, si quaque nocte post

tenebras ursum magnum nos comitantem aut procul sedentem in luna, castra nostra aspicientem, non uidistis. non solum ut ille uos custodiat et uos ducat, sed etiam mannos suos intueatur. Beorn uobis amicus sit, sed animalia sua sicut liberos amat. quantum benignitatis ille uobis monstraret in sinendo illos equitari a uobis tam longe et tam celeriter non coniecistis, nec quid uobis acturum esset, si eos in siluam ducere conaremini."

"quid de equo, ergo?"Thorinus inqui t."non mentionem facis te illum remissurum esse."

"non facis, quod illum non remitto."

"quid de promisso *tuo*, ergo?"

"ego illud seruabo. equum non remitto, illum equito!"

tum intellexerunt Gandalphum eos relicturum esse in margine ipso Mirksiluae, et desperauerunt. nullis autem uerbis m entem eius mutare potuerunt.

"iam de hac re antea locuti sumus, cum in Carrece expositi sumus," ille inquit. "disputare non usui est. habeo, ut uobis dixi, aliquid negotii grauis in meridie; et iam tardus sum quod de uobis exercitus sum. nobis liceat rursus obuiam ire antequam omnis res finita est, sed autem sane non liceat. quae res felicitate uestra et uirtute et ingenio pendet; Dominum Bagginsem cum uobis mitto. cui ante dixi uobis plura esse quam coniciatis, quam rem mox cognoscetis. itaque bono animo es, Bilbo, nec uultu tam misero es; bonis animis esto, Thorine et Comites! haec est expeditio uestra saltem. de thesauro in fine cogitate, et

siluae et draconis obliuiscimini, utique donec mane cras!”

cum mane cras aduenisset, etiam eadem dixit. itaque nihil fuit agendum praeterquam ut pelles-aquas a fonte claro, quem iuxta portam siluestrem inuenerunt, implerent et mannos exonerarent. tam aeque impedimenta distribuerunt quam potuerunt, quam quam Bilbo putauit onus suum esse operose ponderosum, neque ualde ei placuit cogitare de ambulando milia et milia passuum pedibus fessis cum omnibus rebus in tergo suo.

“noli uexari!” Thorinus inquit. “id breuissimo tempore leuabitur. mox, ut puto, nos omnes desiderabimus sarcinas esse grauiores, cum cibus fieri exiguus coeperit.”

demum mannis ualedixerunt, capita quorum domum uerterunt. qui lento cursu laeti discesserunt, caudis ad umbram Miriksiluae uersis ualde gaudere uiderentur. dum egrediuntur, Bilbo iurauerit aliquid urso simile ab umbris arborum discedere et celeriter incessu dissoluto ad illos ambulare.

nunc Gandalphus quoque ualedixit. Bilbo humi sedit sentiens se miserrimum esse et desiderans se iuxta magum in equo eius celso esse. paulo in siluam introierat post ientaculum (quoddam ualde exile), et tam teneb rosum mane quam nocte in illo loco esse uisum est, et occultissimum: “quasi sensus aspiciendi atque exspectandi,” secum inquit.

“uale!” Gandalphus Thorino inquit. “et ualete omnes, ualete! recta per siluam nunc est uia uestra. nolite e semita

errare! – si id feceritis est mille ad unum numquam eam iterum inuenietis, neque e Mirksilua exibitis; tum non puto me umquam, nec aliquem, uos rursus uisurum esse."

"debemusne pertransire quidem?" hobbitus gemuit.

"ita, debetis!" magus inquit, "si ad alterum latus aduenire uultis. uobis aut pertranseundum aut quaesitio uestra relinquenda est. nec nunc sinam te pedem referre, Domine Baggins. me pudet tui de eo cogitantis. tibi omnes nani curandi sunt pro me," risit.

"minime! minime!" Bilbo inquit. "id non uolui. uolui, nonne est uia quae circumit?"

"ita est, si ducenta milia passuum e uia ad septentrionem, et bis tantum ad meridiem ire pateris. sed etiamtunc uiam tutam non habueris. uiae tutae in hac regione orbis non sunt. memento te nunc ultra Limen Vastitatis esse, et, quocumque eas, multas res iocosas habiturum esse. antequam Mirksiluam in Septentrione circumieris, apud cliuos Montium Glaucorum fueris, qui gobelinorum, *hobgobelinorum, atque *orcorum descriptionis pessimae quidem pleni sunt. antequam eam in Meridie circumieris, in terram Necromantici ueneris; non opus est etiam tibi, Bilbo, dici a me fabulas de illo mago atro. non tibi suadeo locos a turre eius atra prospectos admodum appropinquare! semitaesiluestri adhaere, animos tuere, optimum spera, et cum segmento felicitatis magno die quodam *exeas* atque Paludes Longas uideas sub te iacentes, ultra quas, excelsum in Oriente,

Montem Solum, ubi carus uetus Smaug habitat, quamquam spero eum non te exspectaturum esse.”

“quam consolans es, hercle,” Thorinus fremuit. “uale! si nobiscum non uenies, te oportet abire sine uerbis pluribus!”

“ergo ualete, et quidem ualete!” Gandalphus inquit, et equo uerso in Occidentem equitauit. desiderio autem loquendi nouissima succubuit. antequam ab auditu omnino abiit, se uertit et manibus ad os positis eis exclamauit. uocem eius hebetem audiuerunt:“ualete! boni esto, se curate – et NOLITE A SEMITA ABSCEDERE!”

tum citato equo afuit, et mox uideri non potuit. “o uale et abi!” nani grunniuerunt, adeo iratiores quod re uera timore amittendi eum percussi sunt. nunc pars omnis itineris periculosissima incepit. sarcina ponderosa atque aqua-pelle, quae pars eius fuit, in humerum sublata, quisque a luce, quae in terris extrinsecus iacebat, se auertit et in siluam se immersit.

CAPVT OCTAVVM

MVSCAE ET ARANEAE

in ordine ambulabant. aditus semitae fuit quasi fornix tendens in cuniculum caligineum a duabus arboribus factum, quae ad se acclinabant, nimis ueteres et hedera strangulatae et lichene uestitae ut magis quam pauca folia nigrata non pararent. semita ipsa fuit angusta et inter truncos intrinsecus et extrinsecus se insinuabat. mox lux portae erat quasi foramen paruum clarum longe in tergo, et quies erat tam profunda ut pedibus pulsantibus progredi uiderentur, dum omnes arbores super eos inclinant atque auscultant.

oculis obscuritati assuetis ad utrumque latus in uiridibus sublucentibus tenebris paulo uidere potuerunt. aliquando radius exilis solis, qui felix per apertum nescio quid in foliis longe supra illapsus erat, et qui felicior a ramis tortis atque *ramalibus implicatis infra non captus erat, tenuis et clarus ante eos deorsum fossus est. res autem fuit

rara, et mox omnino destitit.

erant in silua sciuri nigri. quos, ut oculi acuti Bilbonis res uidere assuescebant, aliquando e uia festinantes et post truncos arborum discurrentes aspicere poterant. erant etiam sonitus insoliti, grunnitus, rixantia, et cursitantia in uirgultis, et inter folia quae in locis humi siluae densa sine fine aceruata iacebant; sed illa, quae sonitus emittebant, uidere non potuit. res pessimae, quae uiderunt, erant *aranea: aranea atra densaque filis mirifice crassissimis, paene ab arbore ad arborem praetentis, aut in ramis inferioribus in utroque latere eorum tortis. erant nulla trans semitam praetenta, sed utrum magia nonnulla eam apertam conseruaret an qua ratione altera coniecere non potuerunt.

mox siluam, quae etiam minus spei finis offere uisa est, tam effuse quam cuniculos gobelinorum oderant, odisse coeperunt. illis autem prorsus atque prorsus pergendum est, diu postquam aspectui solis et caeli aegrescebant, et sensum uenti in uultibus desiderabant. sub tecto siluae erat nihil motus aeris, quae per aeternum erat immota atque tenebrosa atque opressa. quam rem nani etiam, qui cuniculos agere solebant et temporibus nonnullis sine luce solis diu habitabant, senserunt; sed hobbitus, cui foramina placent colendi causa sed non dies aestatis transigendi, sensit se lente suffocari.

noctes erant pessimae. tum tenebrosa-pix erat – non quae tu tenebrosam-picem appelles, sed enimuero pix: adeo nigra ut uerum nulla uidere posses. Bilbo manum

ante narem agitare conatus est, sed eam uidere nequaquam potuit. re uera, fortasse non ueri simile est di cere eos nulla uidere posse: nam oculo s uidere poterant. contubernales una dormiebant, et inuicem uigilabant; dum Bilbo uigilat, fulgores in tenebris circum eos uidere solebat, et aliquando oculi eum a distantia parua intueri solebant, qui lente hebescebant et euanescebant tum in altero loco lente elucebant. aliquando a ramis supra eum proximis deorsum fulgere solebant; quod maxime fuit terribile. sed oculi, qui illi minime placuerunt, genus fuerunt oculorum horribile bulbosum. "oculi insectorum," putauit, "non oculi animalium, modo multo ingentiores sunt."

quamquam non iam frigidissimum erat, nocte ignes-uigilantes incendere conati sunt, sed id mox reliquerunt, quod sescentos oculos circum eos aduocare uisum est, quamquam ferae, quaecumque essent, curauerunt ne umquam corpora sua in flammis tremulis paruis patefacerent. peius etiam, id milia blattarum glaucarum et nigrarum, aliquae paene tam magnae quam manus tua, alas plaudentium et stridentium circum aures eorum, aduocauit. quas res pati non poterant, neque ingentes uespertiliones, tam nigri quam petasus altus; ita ignibus relictis nocte sederunt atq ue in ingentibus tenebris insolitis dormitauerunt.

talia omnia, ita res hobbito uisa est, per saecula et saecula continuabant; et semper ille esuriebat, nam de

cibariis ualde curauerunt. nihilominus, per dies sequentes, cum silua etiam esse eadem uidebatur, anxii fieri coeperunt. cibus per aeternum non sufficere poterat: qui, re uera, etiamnunc exiguus fieri incipiebat. sagittas in sciuros conicere conati sunt, sed multas consumpserunt antequam unum in semitam decidere potuerunt, qui coctus fuit horribili gustando; itaque non iam sagittas in sciuros coniecerunt.

sitiebant quoque, nam non nimius aquae habuerunt, et per omne tempus nec fontem nec flumen uiderant. qui fuit status eorum die quodam cum inuenerunt uiam suam ab aqua currenti obsaeptam esse. quae rapida atque fortis sed non lata usque trans uiam fluebat, et nigra erat, aut sic in caligine esse uisa est. Beorn bene fecerat quod eos contra eam monuerat, aliter ex illa biberint, colore neglecto, et in ripa eius pelles aliquas exhaustas impleuerint. nunc modo cogitabant quomodo eam transirent neque in aqua eius se mergerent. fuerat pons ligneus trans eam, sed putrefactus erat et deciderat, ut solum pili fracti iuxta ripam superessent.

Bilbo genibus in ora positis et prorsus intuens clamauit: “est linter iuxta ripam ulteriorem! nunc quare in hoc latere non esset!”

“quantum longe absit illa, putas?” Thorinus rogauit, nam nunc intellexerunt Bilbonem habere oculos acutissimos apud eos.

“non admodum longe. non magis quam duodecim ulnas

puto."

"duodecim ulnas! putauerim illam triginta minime esse, sed oculi mei non uident tam bene quam centos annos abhinc uidere solebant. nihilominus, duodecim ulnae sunt tam utiles quam milia passuum. trans eas non salire possumus nec conari aut ambulando aut natando audemus."

"potetisne aliqui iacere funem?"

"quomodo id usui sit? certe linter ligata est, etiamsi eam unco capere potuerimus, de qua re dubito."

"non credo eam ligari," Bilbo inquit, "quamquam sane in hac luce non certus esse possum; sed mihi uisum est eam modo subductam esse in ripam, quae humilis est in loco ipso quo semita in aquam tendit."

"Dorius est fortissimus, sed Filius est natu minimus et etiam aspectum optimum habet," Thorinus inquit. "ueni huc, Fili, et lintrem, de qua Dominus Baggins loquitur, uidere conare."

Filius se posse putauit; itaque postquam diu intuitus est ut notionem cursus acciperet, ceteri funem illi tulerunt, quorum nonnullos secum habuerunt, et in fine longissimi, unum magnorum uncorum ferreorum, quibus ad iungendas sarcinas ad lora circum umeros suos uti sunt, finxerunt. Filius illum in manu prehendit, illum per momentum temporis librauit, tum illum trans flumen iecit.

qui aspergine in aquam decidit! "non satis longe!" Bilbo inquit, qui prorsus intuebatur. "duos pedes et illum in lintrem demiseris. iterum conare. non puto magiam esse

satis fortem ut tibi noceret, si modo partem funis madidi tangis."

cum illum reduxisset, nihilominus Filius funem paulo dubitanter sustulit. quem hoc tempore magno ui iecit.

"firmus es!" Bilbo inquit,"nunc illum usque in siluam in latere altero iecisti. illum leniter reduce." Filius funem lente reduxit, et post tempus nonnullum Bilbo inquit: "caute! in lintre iacet; speramus uncum captum iri."

captus est. funus adeo contentus est, ut Filius frustra illum retraheret. Kilius eum adiuuit, tum Oinus et Gloinus. qui illum attrahebant et attrahebant, et repente omnes in terga deciderunt. Bilbo aspiciens, tamen, funem cepit, et baculo paruam lintrem nigram trans fluuium currentem reppulit. "iuuate!" clamauit, et Balinus tunc cum maxime lintrem cepit antequam illa secundum fluuium defluit.

"ligata est tamen," ille inquit funem fractum aspiciens, qui etiam ab ea dependebat. "id bene attracta est, mi pueri, et opus fortunatum quod funis noster erat fortior."

"quis primus transibat?" Bilbo rogauit.

"transibo," Thorinus inquit, "et tu mecum uenies, et Filius atque Balinus, qui tot sunt quot linter uno tempore ferre potest. posteaquam Kilius et Oinus et Gloinus et Dorius; proxime Orius et Norius, Bifur et Bombur; et postremum Dwalinus et Bombur."

"postremus semper sum, quod non mihi placet," Bombur inquit. "hodie aliquis in mei uicem sit."

"te non oportet esse tam pinguem. quia es, cum

nouissimo atque leuissimo onere lintris tibi eundum est. noli fremere contra iussa, aut aliquid mali tibi accidet.”

“sunt nulli remi. quomodo lintrem ad ripam ulteriorem rursus pelles?” hobbitus rogauit.

“mihi da longitudinem alteram funis atque uncum alterum,” Filius inquit, quem paratum in tenebras iecit tam alte quam eum iacere potuit. cum non iterum decidisset, eum in ramis sane adhaesisse intellexerunt.“nunc conscendite,” Filius inquit,“et alius trahe funem, qui in arbore in latere altero adhaeret. uncus, quo primum uti sumus, ab alio tenendus est, qui, cum in latere altero tuti adfuerimus, eum infigere poterit, ut lintrem retrahere possitis.”

in hoc modo mox omnes in latere ulteriore tuti trans flumen incantatum adfuerunt. Dwalinus cum fune bracchium suum circumuoluto modo enixus erat, et Bombur (etiam fremens) eum sequi parabat, cum aliquid mali sane accidit. a fronte erat sonitus uolans ungularum in semita. e caligine figura cerui uolantis repente uenit, quae in nanos impetum fecit et eos strauit, tum se collegit ad saliendum. in excelsum exsiluit et omnibus uiribus aquam transiluit. latus autem alterum non attigit tutus. Thorinus solus et pedes et ingenia tenuerat. cum primum expositi erant, arcum flexerat cui sagittam applicauerat ne custos quidam celatus lintris appareret. nunc ictum celerem atque certum in feram salientem misit. quae, ut latus ulterius attigit, lapsa est. umbrae eam deuorauerunt, sed sonitum

ungularum celeriter haesitantium, quae tunc quieuerunt, audiuerunt.

antequam tamen ictum clamoribus laudare potuerunt, stridor horribilis e Bilbone omnes cogitationes ferinae e mentibus expulsit. “Bombur incidit! Bombur submergitur!” ille clamauit. res fuit uerissima. cum ceruus in eum contendisset et super eum exsiluisset, Bombur pedem unum in terra habuit. qui haesitauerat, lintrem e ripa repellens, et tunc, manibus e radicibus mucosis lapsis in aquam atram recidit dum linter lente euoluitur et euanescit.

cum ad ripam cucurrissent, cucullum eius super aquam adhuc uidere potuerunt. celeriter, funem cum unco ad eum iecerunt. quo manu eius capto, eum ad litus traxerunt. a capillis ad calceos madebat, sane, quae res non pessima fuit. cum eum in ripa deposuissent, ille iam grauiter dormiebat, manu una funem prehendente adeo stricte ut illum e manu eius remouere non possent; et grauiter dormiens remansit, omnibus rebus ab eis gestis non exceptis.

super eum etiam stabant, fortunae suae malae maledicentes et rusticitati Bomburis, et lintrem amissam lamentantes, quamobrem impossibile fuit ut redirent ad ceruum quaerendum, cum flatum hebetem cornuum in silua et sonitum quasi canes a longe latrantes senserunt. tunc omnes siluerunt; et sedentes clamorem magni uenatus praetereuntis ad septentrionem semitae posse audire uisi sunt, quamquam signam nullam cuius uiderunt.

ibi diu sederunt nec mouere ausi sunt. Bombur cum risu in uultu pingui dormiebat, sicut non iam curabat de omnibus molestiis, quae eum uexauerant. subito in semita in fronte aliquae ceruae albae apparuerunt, una cerua et hinnulei tam niuei quam ceruus erat ater. in umbris fulgebant. antequam Thorinus exclamare potuit, tres nani ad pedes exsiluerant et sagittas ex arcibus suis emiserant. nullis recte colliniatis, ceruae terga uerterunt et in arbores euanuerunt tam tacitae quam uenerant, ut frustra nani sagittas in eas conicerent.

“desinite! desinite!” Thorinus clamauit; sed serius fuit, nani incitati sagittas reliquas consumpserant, et nunc arcus, quos Beorn illis dederat, inutiles fuerunt.

illa nocte manus fuit miserabilis, et per dies sequentes miseria eos etiam altius cinxit. flumen incantatum transierant; sed ultra id semita palari uisa est in modo eodem quo ante fecerat, et in silua mutationem uidere potuerunt nullam. si tamen plura de re cognouissent et cogitauissent de significatione uenatus atque ceruarum albarum, quae in uia eorum apparuerant, nouerint se ad marginem orientem demum appropinquare, et mox, dummodo uirtutem atque spem conseruauerint, ad arbores rariores aduenerint, atque ad locos in quibus lux solis rursus uenit.

sed illa non nouerunt, et corpore graui Bomburis onerati sunt, quod illis portandum fuit quam maxime potuerunt, quattuor quisque inuicem opus operosum gerentes, dum

ceteri sarcinas partiuerunt. si illae non nimium leuatae sint, rem numquam egerint; sed Bombur dormiens atque subridens fuit permutatio exigua pro sarcinis cibi plenis, quantiscumque grauibus. post dies paucos tempus aduenit in quo paene nihil edendi aut bibendi superfuit. nihil salubritatis in silua crescens uidere potuerunt, solum fungos atque herbas cum foliis pallidis et odore foedo.

circum quattuor dies e flumine incantato ad partem quamdam aduenerunt in qua arbores plerique fuerunt fagi. primum a mutatione hilarari inclinati sunt, nam hic fuerunt uirgulta nulla et umbra non tam profunda fuit. fuit lux quasi-uiridis circum eos, et in locis ad utraque latera semitae paulum uidere potuerunt. nihilominus lux modo illis lineas infinitas truncorum rectorum glaucorum quasi columnas ingentis aulae nescio cuius patefecit. fuit spiritus aeris et sonitus uenti, sed sonitus fuit tristis. folia pauca arguta deciderunt quae eos monuerunt autumnum extrinsecus appropinquare. pedes sui apud folia mortua autumnorum aliorum innumerorum, quae e stragulis ualde rubris siluae super ripas semitae delata sunt, crepitabant.

adhuc Bombur dormiebat et ualde defessi sunt. aliquando a sonitu risus sollicitati sunt. aliquando quoque cantum procul audiuerunt. risus fuit risus uocum formosarum, non gobelinorum, et cantus fuit pulcher, quamquam alienus atque insolitus, ut non consolarentur, sed e partibus illis cum quantis uiribus, quae eis superfuerunt, se agerent.

duos post dies, inuenerunt semitam deorsum tendere, et mox in ualle ingentium quercuum paene plena adfuerunt.

"estne nullus finis huius siluae exsecrabilis?"Thorinus inquit. "arbor alicui ascendenda est qui, capite eius sublato super tectum, circumspiceret. solus modus est eligere arborem procerissimam, quae semitae imminet."

sane "alicui" Bilbonem significauit. eum elegerunt, quod, ut ascensor usui sit, caput suum tollendum est super folia superiora, ergo illum satis leuem esse oportet ut rami excelsissimi atque tenuissimi illum ferant. arbores ascendendae numquam misero Domino Bagginsi usu uenerant, sed eum in ramos inferiores ingentis quercus, quae usque in semitam creuerat, subleuauerunt, et ei ascendendum fuit quam maxime potuit. per ramulos tortos cum alapis multis in oculum se impulit; uiridis atque sordidus a cortice uetere ramorum maiorum factus, et magis quam semel lapsus atque in tempore a se susceptus; demum, post certamen terribile in loco quo rami commodi nequaquam esse uisi sunt, prope uerticem uenit. per omne tempus num *araneae in arbore essent et quomodo iterum (nisi decidat) descensurus esset demirabatur.

in fine caput suum super tectum foliorum impulit, et tunc sane araneas inuenit. illae autem paruae fuerunt magnitudinis usitatae, quae papiliones uenabantur. oculi Bilbonis a luce paene caecati sunt. nanos ad eum exclamantes a longe infra audire potuit, sed respondere non potuit, solum se tenere et coniuere. sol clare lucebat,

quem solum post longum tempus pati potuit. cum illum pateretur, mare glaucum, hic et illic ab aura turbatum, circum eum uidit; et ubique sescenti papiliones erant. puto eos fuisse generis "*apatura iris", papilio quidam qui uertices quercussiluestris amabat, sed illi quidem purpurei non fuerunt, color illis fuit ater, ater sericus-niger sine notis uisibilibus ullis.

diu "apaturas irides" aspexit, et sensu aurae in crinibus atque uultu gauisus est; sed demum clamores nanorum, qui infra impatientes nunc uerum humum pedibus pulsabant, eum de negotio uero monuerunt. inutile fuit. intuitus quam maxime potuerit, finem arborum et foliorum in parte qualibet non uidere potuit. cor suum, quod ab aspectu solis atque sensu uenti leuatum erat, in digitos pedum remeauit: ei ad nullum cibi infra redeundum est.

re uera, ut tibi dixi, non procul a margine siluae afuerunt; et si Bilboni ingenium esset ad rem uidendam, arbor, quam ascenderat, quamquam procera in ipsa fuit, iuxta fundum uallis latae stabat, ut e uertice eius arbores circum margines omnes ingentis crateris tumescere uisae essent, neque ille quousque silua extenderetur uidendo exspecaret. nihilominus rem non uidit, et desperationis plenus descendit. demum ad fundum iterum peruenit, rasus, calidus atque miserabilis, neque, cum illuc aduenisset, aliquid in caligine infra uidere potuit. nuntius eius effecit ut ceteri tam miserabiles quam ille fierent.

"silua ubique et ubique et ubique in omnibus partibus

extenditur! quodcumque agemus? et quid usus est mittendi hobbitum?" clamauerunt, sicut ille in culpa esset. papiliones nihili putauerunt, et, cum de aura amoena, quam sentire non potuerunt quod ad ascendendum grauiores fuerunt, illis dixisset, modo iratiores facti sunt.

---

illa nocte, frusta ultima atque micas cibi ederunt; et mane proximo cum experrecti essent primo animaduerterunt se etiam esurienter esurire, et secundo pluere, guttis hic et illic grauiter cadentibus in solum siluae. quae res modo eos monuit etiam sitienter sitire, sed non effecit ut releuarentur: non sitim terribilem leuare potes astando sub quercibus giganteis et exspectando guttam fortuitam quae in linguam tuam decideret. frustum solum consolationis a Bombure casu uenit.

qui, repente experrectus, caput suum radens surrexit. ubi esset, nec quare se esse adeo esuriens sentiret, nequaquam intellexit; nam omnium rerum, quae acciderant cum iter illo mane Maio iampridem incepissent, oblitus est. conuiuium apud hobbitum fuit nouissima res quam ille meminerat, et uix potuerunt facere quin fabulae eorum de multis facinoribus, quae ex quo tempore susceperant, crederet.

cum nihil cibi esse audiuisset, consedit et lacrimauit, nam sensit se infirmissimum atque instabilem in cruribus esse. "quare umquam experrectus sum?" clamauit. "somnia tam pulchra habebam. somniabam me ambulare in

silua similis huic, modo a facibus in arboribus atque lucernis e ramis pendentibus atque ignibus humi illuminata; ibi magnum conuiuium agitabatur, per aeternum agitabatur. rex siluestris aderat, corona foliata, et ibi erat cantus iocosus, neque illa edenda et bibenda numerare aut describere poteram."

"tibi non opus est conari," Thorinus inquit. "re uera, si de aliquo loqui non potes, te tacere oportet. tibi iam satis irati sumus. si non experrectus sis, te cum somniis fatuis tuis in silua reliquerimus; non est iocus te ferre, etiam post hebdomades cibariorum paruorum."

nunc non potuerunt facere quin, cingulis circum uentres inanes cinctis et sarcinis saccisque inanibus sublatis, pedibus fessis progressi sint sine magna spe quadam ad finem aduenturos esse antequam iacuerint et fame enecati erunt. quam rem per illum diem agitabant, lentissime atque defessi progredientes; dum Bombur clamitat crura sua ipsum non ferre, et se iacere atque dormire uelle.

"minime, noli id facere!" inquiunt. "crura tua partem suam tollant, te satis longe tulimus."

nihilominus subito recusauit se gradum unum longius iturum esse, et humi se deiecit. "pergite, si debetis," inquit. "ego hic solum iacebo et dormiam et de cibo somniabo, si eum habere a modo altero non possum. spero se numquam experrecturum esse iterum."

ipso tempore Balinus, qui paulo in fronte fuit, exlamauit:"quid erat illud? putaui me fulgorem quemdam

lucis in silua uidere."

omnes aspexerunt, et fulgorem rubrum, qui longe abesse uidebatur, in tenebris uiderunt; tum alius et alius iuxta illum exsiluit. Bombur etiam surrexit, et tum maturauerunt, nil morantes num ibi trolla an gobelini sint. lux in fronte eorum et ad sinistram semitae fuit, et demum cum ad locum aequum cum illa peruenissent, manifestum esse uisum est faces atque ignes sub arboribus flagrare, sed longissime a uia sua.

"uidetur somnia mea fieri uera," Bombur cum flatibus a tergo appropinquans anhelauit, qui in siluam ad luces sequendas directe irruere uolebat. ceteri autem admonitionum magi et Beornis nimium meminerant.

"conuiuium non usui fuerit, si ex quo uiui numquam redibimus," Thorinus inquit.

"sed sine conuiuio non multum longius uiuemus, nihilominus," Bombur inquit, cui Bilbo uehementer consensit. de re inter se diu disputabant, donec tandem secum consenserunt fore ut duo exploratores emitterentur, qui prope luces reptarent ad plura de illis quaerenda. sed tum de quibus mittendis non consentire potuerunt: nemo anxius esse uisus est qui rem periclitari uoluit, ne amissus fieret neque umquam amicos suos rursus inueniret. in fine, admonitionibus exceptis, esuritio rem pro illis decidit, quod Bombur omnia bona, quae secundum somnium eius apud conuiuium siluestre edebantur, describebat; itaque omnibus e semita egressis una in siluam se demiserunt.

postquam multum reptauerunt atque serpserunt, truncos circumspexerunt atque in apertum intuiti sunt, in quo arbores nonnullae decisae erant et humus exaequatus erat. ibi erant multi, homines qui dryades esse uisi sunt, uiridi atque fuluo uestiti qui in anulis secatis arborum decisarum, quae in circulo magno fuerunt, sedebant. erat ignis in medio et faces arboribus nonnullis circum alligatae sunt; sed res splendidissima omnium uidenda: edebant atque bibebant atque iocose ridebant.

odor carnum assarum adeo dulcissimus fuit ut, non morati ad inter se consulendum, omnis quisque surgeret et properanter prorsus in anulum properaret, cum sententia una de cibum aliquem obsecrando. cum primum primus in apertum ingredi erat, quam luces omnes sicut a magia exstingebantur. aliquis ignem calcauit, qui in missilibus scintillarum micantarum ascendit tum euanuit. in tenebris omnino sine luce amissi sunt, neque alius alium etiam inuenire poterat, non diu sane. postquam in caligine furiose errauerunt, super stipites cadentes, in arbores crepitu incidentes, et clamitantes et exclamantes donec omnia in silua per milia passuum illis excitanda sunt, demum se colligere in globo et tactu se numerare potuerunt. ex quo tempore, sane, in qua parte semita esset, omnino obliti erant, et sine spe, usque ad mane saltem, amissi sunt.

non facere potuerunt quin in illo loco ipso per noctem considerent; neque etiam humi frusta cibi quaerere ausi

sunt, nam timuerunt ne iterum separarentur. sed non diu iacebant, et Bilbo solummodo dormitabat, cum Dorius, qui primum uigilias agitauit, susurro magno dixit:

“illic luces iterum nitescunt, et plures quam umquam.”

omnes exsiluerunt. illic, sane, non longe aberant, centum luces coruscabant, et uoces et risus clarissime audiuerunt. ad illas in una linea, quisque tergum huius, qui in fronte fuit, tangens, lente reptauerunt. cum prope appropinquauissent, Thorinus inquit: “hoc tempore nolite prorsus properare! nemo e latebris moueat donec dixi. primo Dominum Bagginsem solum mittam, qui cum illis loquatur. illi eum non timebunt – (“egone illos?” cogitauit Bilbo) – et praeterea spero illos ei non malum daturos esse.”

cum ad marginem circuli lucum aduenissent, Bilbonem a tergo repente pepulerunt. antequam ille tempus ad anulum suum induendum habuit, in fulgorem plenum ignis atque facum incidit. res inutilis fuit. omnes luces iterum exstinguebantur et tenebrae totae deciderunt.

si difficile fuerat se colligere ante, hoc tempore multo peius fuit. et nequaquam hobbitum inuenire potuerunt. quandocumque se numerabant, summa fuit tredecim solum. clamitabant et exclamabant: “Bilbo Baggins! hobbite! tu hobbite perdite! heus! hobbite! te confunde, ubi es?” et cetera illius generis, sed responsum erat nullum.

illi spem relicturi, cum Dorius casu eum inuenit. in tenebris trans aliquid, quod esse stipitem putauit, inciderat

et inuenit id esse hobbitum, procumbentem atque grauiter dormientem. quem multo quassauerunt ad eum excitandum, qui cum experrectus esset nequaquam delectatus est.

“somnium tam pulchrum somniabam,” fremuit, “de cena sumptuossima.”

“di immortales! ille sicut Bombur factus est,” inquiunt. “noli dicere nobis de somniis. cenae-somniorum non usui sunt, neque eas partire possumus.”

“illae sunt optimae, quas in hoc loco horrido probabiliter habebo,” mussauit ille dum iuxta nanos iacet et dormire denuo conatur ut somnium suum iterum inueniat.

sed illae non fuerunt in silua ultimae luces. serius cum nox certe senesceret, Kilius, qui tum uigilabat, uenit ut eos rursus excitaret, dicens:

“est fulgor uerus lucis, qui inceptus non longe abest – sescentae faces atque ignes multi repente atque a magia incendendi sunt. et cantus atque lyras au scultate!”

postquam paulisper iacuerunt et audiuerunt, inuenerunt se desiderio propius mouendi non resistere posse, ut denuo auxilium petere conarentur. rursus exsiluerunt; et hoc tempore res calamitose euenit. conuiuium quod nunc uiderunt amplius erat atque magnificentius quam ante; et in capite ordinis longi epulonum rex siluestris, cum corona foliata super crines aureos, sedebat, sicut Bombur figuram in somnio suo descripserat. dryades poculos a manu ad manum et trans ignes tradebant, et aliqui lyras pulsabant et multi canebant. crines nitentes floribus circumplexi erant;

gemmae uirides atque albae in iugulis atque cingulis eorum fulgurabant; et facies et cantus hilaritatis pleni erant. qui cantus erant magni atque clari atque pulchri, in medium quorum Thorinus egressus est. silentium in medio uerbo totum descendit. luces exstinguebantur. ignes in fumos nigros exsiliebant. cineres atque fauillas in oculos nanorum inerant, et silua rursus clamore eorum atque clangoribus implebatur.

Bilbo inuenit se circum atque circumcursare (ut putabat) et exclamitare atque exclamitare: “Dori, Nori, Ori, Oine, Gloine, Fili, Kili, Bombur, Bifur, Bofur, Dwaline, Thorine Scutumquerceum,” dum homines, quos nec uidere nec sentire poterat, circum eum se eodem modo gerunt (cum “Bilbo!” subinde iniecto). clamores autem ceterorum longius atque hebetius constanter fiebant, et quamquam paulo post in ululatus atque clamores auxilium petentes procul mutare ei uisi sunt, demum omnis sonitus omnino subsedit, et solus in silentio toto atque tenebris relinquebatur.

---

quod momentum temporis fuit unum eius miserrimorum. mox autem in animo constituit se non temptaturum esse aliquid facere donec dies cum aliqua luce pauca aduenerit, et rem esse omnino inutilem inepte errare, ut fessus sine spe ientaculi ad eum recreandum fieret. itaque ipse cum tergo ad arborem consedit, neque tempus fuit ultimum in quo de foramine-hobbito, quod longissime afuit, cum

cellis eius pulchris cogitauit. dum de larido ouisque et pane tosto butyroque attente cogitat, sensit nescio quid eum tangere. aliquid quasi linea fortis tenaxque ad manum sinistram erat, et, cum mouere temptauisset, crura sua esse iam in materia eadem inuoluta inuenit, ut surgens decideret.

tunc magna aranea, quae eum dormitantem alligando occupata erat, a tergo eius uenit et in eum impetum fecit. ille solum oculos ferae uidere potuit, sed crura eius hirsuta sentire potuit ut fila sua abominanda circum atque circum eum uoluere contendebat. feliciter mentem in tempore receperat. mox nequaquam se mouere potuerit. nihilominus, acriter pugnandum est antequam se liberauit. feram manibus suis reppulit – quae eum uenenare conabatur ut ille tacitus esset, sicut araneae paruae cum muscis agunt – donec ensem meminerat quem eduxit. tunc aranea resiluit, et ille tempus habuit ut secando crura sua liberaret. post illam rem, uicissim impetum fecit. aranea illis, quae tales aculeos ferebant, manifeste non assueta est, aut celerius effugerit. antequam illa euanescere potuit, Bilbo illam aggressus ense in oculos ipsos fodit. tum illa insaniuit et saliebat et saltabat et crura motibus horribilibus iactabat, donec ille eam ictu altero necauit; tum decidit et nihil plura perdiu meminerat.

cum mentem recepisset, lux solita hebes glauca circum eum erat. aranea mortua iuxta eum iacebat, et ensis nigro maculatus est. nescio quomodo Domino Bagginsi multum

retulit se ipsum solum in tenebris, sine mago aut nan is aut aliquibus adiuuantibus, araneam necauisse. sensit se hominem mutatum esse, multum ferociorem atque audaciorem, uentro inani non excepto, dum ensem in graminibus tersum in uaginam recondit.

“nomen tibi dabo,” inquit, “et te appellabo *Aculeus*.”

postea ad explorandum progressus est. silua fuit torua atque tacita, sed plane primum quaerendi fuerunt amici, qui probabiliter non longe afuerunt, nisi captiui a dryadibus (aut a malis) facti erant. Bilbo putauit clamando rem fieri periculosam, et perdiu stetit cogitans in quo loco semita esset et quo primum iret ad nanos quaerendos.

“o, quare consilium Beornis non memineramus, atque Gandalphi!” lamentatus est. “in quanta turba nunc nos insumus! nos! solum uolo esse *nos*; esse solus est res horribilis.”

in fine coniecturam tam bene fecit quam optime potuit de parte e qua clamores auxilium petentes in nocte uenerat – et forte fortuna (cum portione bona cuius natus erat) magis minusue recte coniecit, ut uidebis. re in mente composita, reptauit quam callidissime potuit. in silentio hobbiti sunt callidi, praecipue in siluis, ut iam tibi dixi; porro, antequam egressus est Bilbo anulum induerat. quamobrem araneae eum, dum appropinquat, nec uidit nec audiuit.

furtiue aliquamdiu progressus erat, cum locum umbrae densae nigrae, locum nigrum etiam in illa silua, quasi

maculam mediae noctis, quae numquam detersa erat, in fronte animaduertit. propius appropinquans, uidit illum a telis, alia cum alia in tergo et supra et implicata, factum esse. subito etiam uidit araneas adesse ingentes atque horribiles, quae in ramis super eum sedebant, et anulus aut nullus anulus, metu tremuit ne eum inuenirent. post arborem stans, eas aliquamdiu aspectabat, et tum in silentio atque quiete siluae intellexit illas feras foedas inter se loqui. uoces suae erant quasi stridor atque sibilus tenuis, sed multa uerba, quae dicebant, intellegere poterat. de nanis loquebantur!

“acriter pugnatum est, sed operae pretium fuit,” una inquit. “quam foedae atque densae pelles eorum sunt, sane, sed spondebo ius bonum intus esse.”

“cenam quidem bonam facient, post aliquamdiu pependerint,” alia inquit.

“nolite illos nimis longe suspendere,” tertia inquit. “non tam pingues quam illos esse oportuerit. recens non satis bene uescebantur, ut coniciam.”

“illos necate, dico,” quarta sibilauit: “necate illos nunc et mortuos paulisper suspendite.”

“sunt mortui nunc, ut puto,” prima inquit.

“non sunt. modo unum agitantem uidi, modo nunc expergiscentem, ut puto, post somnium puuulch-rissimum. quem uobis monstrabo.”

his dictis, una aranea pinguis secundum funem cucurrit donec ad duodecim fasces in ordine a ramo alto pendentes

peruenit. Bilbo horruit, nunc eos, qui in umbris dependebant, primum animaduertit, se pedem nani ex fundo fascium aliquorum eminentem uidere, aut hic et illic uerticem naris aut partem barbae uel cuculli.

ad pinguissimum fascium illorum aduenit aranea – “est miser Bombur, certe,” Bilbo putauit – et narem, quae eminebat, dure momordit. fuit intrinsecus strido r surdus, et digitus pedis exsurrexit et araneam recte atque dure calcitrauit. Bombur adhuc uiuus erat. fuit sonitus quasi follis flaccidus calcitratus, et aranea irata e ramo excidit, modo in tempore se a fila sua prehendens.

ceterae riserunt. “rectissimus fuisti,” inquiunt, “caro est uiua et calcitrans!”

“illius finem faciam mox,” aranea irata in ramum iterum ascendens susurrauit.

Bilbo intellexit tempus aduenire in quo aliquid sibi agendum est. feras appropinquare non potuit, nec aliquid ad emittendum habuit; sed circumspiciens uidit in hoc loco multa saxa esse iacentia in quo nunc paruus alueus siccus esse uisus est. Bilbo saxo ictu satis certo utebatur, et non post multo unum leue in figura ouis inuenit, quod ad manum arcte accomodatum est. dum puer se exercere solet in iactando saxa ad aliqua, donec cuniculi et sciuri, et etiam aues, si eum pronum uiderunt, a uia eius celerius quam fulgur abierunt; et etiam dum uir tempus impendit in disco *ludendo, tela iactendo, sagittas ad uirgam

emittendo, globulorum lusoriorum *lusu, trunculorum nouem *lusu, et alteris lusibus quietis generis de intendendo iactendoque – re uera multa agere, praeterea coronas fumi emittere, aenigmata dicere, et coquere, poterat, de quibus nihil temporis mihi fuerat ut tibi narrauissem. nunc nihil temporis est. dum saxa tollit, aranea ad Bomburem peruenerat, qui mox mortuus sit. tum maxime, Bilbo iecit. saxum ictu araneam in capite percussit, quae sensibus ablatis ex arbore in humum cum alapa, omnibus cruribus tortis, decidit.

saxum proximum stridens per magnam telam pertransiit, funiculos frangens atque araneam in medio depellens, ictu mortuam. post illam rem, colonia aranearum ualde commota est, quae, mihi licet tibi dicere, nanorum paulisper oblitae sunt. Bilbonem uidere non potuerunt, sed de parte, qua saxa ueniebant, bene conicere potuerunt. celerius quam fulgor ad hobbitum currentes atque pendentes aduenerunt, fila longa ubique eicientes, donec aer laqueorum undulatorum plenus esse uisus est.

Bilbo tamen mox in loco altero elapsus est. in animo habuit araneas furiosas longius et longius e nanis ducere, si potis; efficere ut illae curiosae atque commotae atque iratae semel essent. cum circa quinquaginta ad locum, in quo ille ante steterat, abissent, in illas plura saxa iecit, et in alteras, quae in tergo constiterant; tum inter arbores saltans cantus cantare coepit ut illae efferarentur et eum sequerentur, et porro ut nani uocem eius audire possent.

haec sunt quae cantabat:

aranea uetusta pigra,
in arbore deducens fila!
non uides me, obesa!
Arachne! Arachne!
desiste, desiste,
nunc nere, atque me uestiga!

aranea rustica stulta,
aranea rustica crassa,
non spectas me, fatua!
Arachne! Arachne!
deorsum descende!
non prendis me dum sursum, stulta!

non optime facta, fortasse, sed te recordari oportet eum coactum esse ut ipse illa in puncto temporis difficillimi fingeret. quae nihilominus effecerunt quae ille facere uoluit. dum cantat, plura saxa iacebat et humum pede pulsabat. paene omnes araneae in illo loco eum persecutae sunt: aliae humi deciderunt, aliae secundum ramos ruerunt, ab arbore ad arborem se iactauerunt, uel funes nouos trans spatia tenebrosa iecerunt. ad sonitum eius properabant celerius quam ille opinatus erat. fuerunt ualde iratae. saxis omnino exceptis, nullae araneae placebat ut *Arachne* appellaretur, et *rustica* sane est alicui contumelia.

ad locum nouum festinauit Bilbo, sed nonnullae araneae

iamnunc in partes diuersas in nemore, in quo habitabant, cucurrerant, et nendo telas trans spatia omnia inter truncos arborum occupatae sunt. mox hobbitus in saepe densa earum circum eum illaqueatus esset – quae res, saltem, consilium aranearum fuit. Bilbo in medio uenatium atque nentium insectorum stans, timore omisso, cantum nouum coepit:

Ignauaque Insanaque
quae frustra nunc constringunt me,
quam dulcis sum sucosusque,
nequitis inuenire me!

improba musca ego sum,
en pigra pinguis agedum,
etiam liber semper sum,
inane est araneum!

his dictis, se uertit et inuenit spatium ultimum inter duas arbores proceras cum tela clausum fuisse – sed feliciter non tela ordinaria, modo magna fila bis-densati funis aranei rursum prorsum a trunco ad truncum properanter texta. ense paruo destrincto, fila consecauit et cantans egressus est.

araneae ensem uiderunt, quamquam non puto illas intellegere quod esset, et statim omnis turba earum secundum terram atque ramos, cruribus hirsutis agitantibus, forcipibus textoribusque crepitantibus, oculis

prosilientibus, spumae iraeque plena, festinanter hobbitum persecuta est. in siluam eum secutae sunt donec Bilbo quatenus ierat ut ausi est. tum magis furtim quam mus rediit.

se minimum temporis habere sciuit, antequam araneae, taedio affectae, ad arbores redierunt ubi nani pendebant. qui, interim, eripiendi ei sunt. ascendere in ramum longum, ex quo fasces pendebant, fuit pars pessima officii. non puto, si feliciter aranea funem dependentem non reliquisset, eum perfecturum fuisse rem; auxilio cuius, quamquam manui eius adhaesit atque ei nocuit, enixus est – modo ut obuiam iret araneae ueteri pigrae malae corpore pingue, quae ad captiuos custodiendos remanserat, et in uellicando quos occupata erat ut quem suci plenissimum ad edendum cognosceret. illa de conuiuium incipiendo cogitauerat dum ceterae absunt, sed Dominus Baggins festinabat, itaque antequam aranea quid ageretur intellexit, aculeum eius sensit et e ramo mortua deuoluit.

proximum officium Bilbonis fuit nanum soluere. quid acturus est? si filum, quod illum suspendebat, secaret, miser nanus ad terram longius infra collaberetur. secundum ramum se sinuans (quae res effecit ut omnes nani saltarent et uibrarent sicut fruges maturae) ad fascem primum peruenit.

“Filius uel Kilius,” a uertice cuculli caerulei e summo eminentis putauit. “ueri simile est Filium esse,” a uertice naris longae a filis torquentibus extrusae putauit. se

inclinando effecit ut plurima fila fortia atque tenacia, quae illum circum et circumligauerunt, secaret, et tunc quidem, calcitrans atque nitens, plurima pars Filii emersit. me paenitet dicere Bilbonem uero ridere aspectum huius, qui bracchia atque crura rigida agitabat dum in neruo araneo sub alis suis saltat, sicut quoddam oblectamentum iocosum liberorum in filo metallico se mouens.

nescio quomodo Filius ramum attigit, et tum, quam optime potuit, Bilbonem adiuuit, quamquam sentiebat se esse ualde nauseabundum atque aegrum propter uenenum araneum et per plurimam noctem atque diem proximum pendentem circum et circumuolutum per narem solam spirantem. perdiu conatus est antequam materiam foedam ex oculis atque superciliis remouere potuit, et de barba sua, plurimam exsecare coactus est. nihilominus, inter se unum nanum primum tum alium subducere coeperunt quos ictibus liberauerunt. nemo melior sanitate erat quam Filius, et aliqui peiores erant. alii omnino spirare uix poterant (nares longae aliquando usui esse uides) et alii magis uenenati sunt.

in hoc modo Kilium, Bifurem, Bofurem, Dorium et Norium liberauerunt. miser Bombur adeo defessus est – fuit pinguissimus itaque uellicatus atque fodicatus erat – ut e ramo deuolutus crepitu humi, forte in folia, decideret et ibi iaceret. etiamnunc quinque nani in fine rami pendebant cum araneae, multum irae plenae quam umquam, redire coeperunt.

statim Bilbo ad finem rami, qui trunco arboris proximus fuit, uenit et illas, quae sursum reptauerant, reppulit. cum Filium liberauisset anulum deposuerat quem iterum reponere oblitus erat, itaque nunc omnes balbutire sibilareque coeperunt:

"nunc te uidemus, tu malum animal paruum! te edemus et ossa tua et pellem in arbore pendentes relinquemus. heia! habetne aculeum? esto, nihilominus eum capiemus, et tum eum capite deorsum posito per diem aut duos suspendemus."

subito Bilbo animaduertit araneas nonnullas circumstetisse Bomburem ueterem, et iterum illum alligauisse et abstrahere. clamore emisso araneas, quae in fronte eius erant, icit. quae celeriter terga uerterunt. in medium quarum uacillans secundum arborem usque in terra decidit. ensis paruus illis aliquid noui in modo aculeorum fuit, qui huc et illuc uibrabatur! qui gaudio emicabat ut illas fodicabat. sex necabantur antequam ceterae pedem rettulerunt et Bomburem Bilboni reliquerunt.

"descendite! descendite!" nanis in ramis clamauit. "nolite sursum in illo loco manere ne retibus caperemini!" nam araneas examinantes ascendere omnes arbores propinquas et secundum ramos super capita nanorum reptare uidit.

deorsum uacillantes nani descenderunt aut salierunt aut deciderunt, omnes undecim aceruati, plurimi ualde tremuli

et cruribus inutiles fuerunt. ibi demum aderant duodecim, misero Bombure numerato, qui a Bifure consobrino atque Bofure fratre utrimque fulciebatur; et Bilbo circumsiliebat atque Aculeum suum uibrabat; et sescentae araneae oculis eminentibus eos circum atque circa atque supra aspiciebant. res desperata esse uidebatur.

tunc proelium commissum est. alii nani cultros habuerunt, et alii bacula, et omnes saxa quaerere potuerunt; et Bilbo pugionem dryadum habuit. semel atque iterum araneae repellebantur, multis necatis. res autem non diu continuari poterat. Bilbo paene defessus est; quattuor nani solum firme stare potuerunt, qui mox oppressuri fuerint sicut muscae fatigatae. iam araneae circum eos telas iterum ab arbore ad arborem nere incipiebant.

in fine, Bilbo de ullo consilio cogitare nequit nisi ut rem occultam de anulo nanis diceret. cuius eum aliquantulum paenituit, sed fieri non potuit aliter.

“ego euanescam,” inquit. “araneas deducam, si potero; uobis una eundum est in partem aduersam. eo ad sinistram, id est iter magis minusue ad locum in quo ignes dryadum postremo uidimus.”

magnum fuit ut illi, capitibus uertiginosis et clamoribus et baculorum uerberantibus et saxorum iacientibus, rem intellegerent, sed demum Bilbo sensit se non iam morari posse – araneae semper se propius circumfundebant. subito anulum induit et, nanis ualde stupefactis, euanuit.

mox sonitus “Ignaua” atque “Arachne” inter arbores ad

sinistram exstitit, qui araneas ualde uexauit. quae progredi destiterunt et aliquae in partem uocis egressae sunt. adeo iratae ab “Arachne” sunt ut insanirent. tum Balinus, qui consilium Bilbonis melius quam ceteri prehenderat, impetum duxit. nani, conferto gradu et saxis infusis, in araneas ad sinistram se direxerunt et anulum perruperunt. nunc post illos clamor cantusque repente destiterunt.

nani, desperanter sperantes Bilbonem non captum esse, progressi sunt. non satis celerius, tamen. aegri fuerunt atque fessi, neque ire potuerunt multo melius quam claudicantes et uacillantes, quamquam multae araneae in tergo prope fuerunt. aliquando se uertere coacti sunt ad pugnandas feras, quae eos consecutae sunt; et iam araneae aliquae in arboribus super eos, fila longa adhaerentia deicientes, fuerunt.

res iterum esse malae uidebantur, cum repente Bilbo rursus apparuit, atque in araneas attonitas a latere improuiso impetum fecit.

qui “pergite! pergite!” clamauit. “aculeos emittam!”

itaque id fecit. huc et illuc uibrabat, fila-aranearum iciens, crura quarum mutilans, et, cum propius uenissent, corpora pinguia fodicans. araneae ira tumidae balbutiebant atque spumabant, et maledictos horribiles sibilabant, sed Aculeum mortifere pauebant, neque, cum ille redisset, prope appropinquare ausae sunt. itaque, illis etiam maledicentibus, nihilominus praeda illarum lente sed constanter egressa est. res fuit ualde terribilis quae

per horas permanere uisa est. demum autem, cum Bilbo sensisset se manum ad ictum unum plus tollere non posse, araneae repente rem reliquerunt, et non iam eos perscutae sunt sed repulsae ad coloniam atram redierunt.

tunc nani animaduerterunt se ad marginem anuli, in quo ignes-dryadum adfuerant, aduenisse. nesciuerunt num hic esset unus horum quos nocte priore uidissent. aliquid autem magiae bonae in locis talibus morari uisum est, quae araneis non placuit. nihilominus, hic lux fuit uiridior et rami minus densiores atque minaciores, et requiescere atque respirare potuerunt.

ibi per tempus nonnullum, anhelantes atque uentum emittentes, iacebant. mox autem quaestiones rogare coeperunt. omne negotium de euanescendo diligenter explicari postulauerunt, et inuentio anuli eos adeo tenuit ut aliquando molestiarum suarum obliuiscerentur. Balinus, praecipue, institit ut fabula de Gollo, aenigmatibus atque omnibus, iterum omnino narraretur, cum anulo in ipso loco proprio. sed paulo post, luce deficiente, alias quaestiones rogauerunt. ubi essent, et ubi esset semita, et in quo loco aliquid cibi esset, et quid proxime agerent? has quaestiones semel atque iterum rogabant, et e paruo Bilbone exspectare uidebantur ut responsa eis darentur. ex quo, illos omnino mutauisse opinionem de Domino Bagginse uidere potes, et eum aestimare magno coepisse (sicut Gandalphus dixerat illos facturos esse). re uera, illi quidem exspectauerunt ut is quoddam consilium mirabile

ad illos iuuandos produceret, neque modo mussabant. bene penitus intellexerunt se omnes mox mortuos fuisse, si hobbitus non adfuisset, cui gratias multas egerunt. alii etiam surrexerunt et capita ad usque humum ante eum demiserunt, quamquam contentione deciderunt, neque aliquamdiu in crura iterum surgere potuerunt. ueritate de euanescendo cognita nihilominus Bilbonem non admodum minoris aestimauerunt; nam cognouerunt eum et ingenia nonnulla et felicitatem et anulum magicum – omnia tria sunt bona utilissima – habere. re uera, adeo eum laudauerunt ut Bilbo sentire coeperit se saltem esse aliquantum hominem audacem, quamquam senserit se etiam multo audaciorem esse si aliquid cibi fuisset.

cuius nihil fuit, omnino nihil; nec quisquam satis sanus fuit ad aliquid quaerendum aut semitam amissam scrutandam. semitam amissam! nulla cogitatio altera in capite fesso Bilbonis inerat. qui modo sedebat intuens in arbores infinitas, quae in fronte erant; et postmodo omnes iterum silescebant. omnes praeter Balinum. qui longius postquam ceteri loqui destiterunt atque oculos clauserunt, secum mussabat atque subridebat.

"Gollum! ego benedicor! ita id est quomodo ille praeter me subripuerit, estne? nunc scio! tune modo lente reptauisti, Domine Baggins? orbiculi ubique in limen! bone Bilbo – Bilbo – Bilbo – bo – bo – bo –" itaque obdormiuit, et perdiu erat quies omnis.

repente Dwalinus oculo aperto illos circumspexit. "ubi

est Thorinus," rogauit.

ualde obstupefacti sunt. sane, fuerunt solum tredecim, duodecim nani atque hobbitus. ubi quidem esset Thorinus? quid fortuna mala – magia aut beluae atrae – illi euenisset mirati sunt; et in silua amissi iacentes horruerunt. ibi, crepusculo deficiente in noctem nigram, singulariter in somnum incommodum somniorum horribilium plenum obdormiuerunt; et ibi illi nobis relinquendi sunt in praesenti, adeo aegri atque defessi ut uigiles non ponerent nec uicissim uigilias seruarent.

Thorinus multo celerius captus erat quam ceteri. recordarisne Bilbonem, dum in circulum lucis graditur, sicut stipitem obdormire? proximo tempore fuerat Thorinus, qui progressus erat, et qui lucibus exstinctis incantatus sicut saxum deciderat. omnes sonitus nanorum in nocte amissorum, clamores quorum ut araneae eos capiebant atque alligabant, et proximo die omnes sonitus proelii, inauditi eum praeterierant. tum Dryades-Siluestres ad eum uenerant, atque eum alligatum abstulerant.

homines, qui epulabantur, sane Dryades-Siluestres erant, quae non sunt gens mala. fortasse in culpa sunt quod alienis non credunt. quamquam magia illarum fortis erat, etiam illis in diebus cautae erant. a Dryadibus-Altis Occidentis distulerunt, et magis infestiores et minus sapientiores erant. nam plurimae (cum cognatis in collibus montibusque sparsis) ab antiquis generibus, quae numquam ad Fata in Occidente uenerunt, ortae sunt. il luc

Dryades-Clarae et Dryades-Profundae et Dryades-Maritimae uenerant atque per saecula habitabant, et pulchriores et sapientiores et doctiores factae sunt, et magiam suam et artem astutam in res pulchras atque admirandas fabricando reppererant, antequam aliae in Orbem Latum reuenerunt. in Orbe Lato Dryades-Siluestres in crepsuculo Solis nostri atque Lunae moratae sunt, sed stellas optime dilexerunt; et in siluis magnis, quae in terris nunc amissis procerae creuerant, errabant. saepissime iuxta margines siluarum habitabant, e quibus aliquando effugere poterant ad uenandum uel equitandum et currendum trans terras apertas sub luce lunae aut stellis; et post aduentum hominum ad umbras crepusculumque magis reuersae sunt. nihilominus, dryades erant et sunt, id est Homines Boni.

hoc tempore, in antro magno milia passuum nonnulla intra marginem Mirksiluae ad latus eius orientale, rex earum maximus habitabat. ante ianuas cuius ingentes saxeas flumen e cacuminibus siluae excurrebat tum praeterfluebat et in paludes ad imum terrarum altarum siluestrium effluebat. hoc antrum magnum, ex quo innumera minora in lateribus omnibus aperta sunt, longe sub terra se insinuauit et meatus multos habuit atque aulas latas; sed clarius et sanius fuit quam domus ulla gobelinorum, neque tam profundum nec tam periculosum. re uera, subiecti regis plerique in siluis apertis habitabant atque uenati sunt, et domus uel tuguria humi et in ramis

habuerunt. fagi illis optime placuerunt. antrum regis fuit regia sua, et thesauri sui arx, et ciuium castra contra hostes eorum.

fuit quoque captiuorum eius carcer. itaque Thorinum ad antrum traxerunt – nequaquam leniter, nam nanos non amauerunt et putauerunt eum esse hostem. in diebus antiquis bella cum nanis nonnullis gestae erant, quos de furto thesauri sui accusauerant. modo aequum est dicere nanos rem aliter habuisse, et dixisse se modo abstulisse quod illis debitum fuisset, nam regem-dryadum cum illis pactum esse ad fabricandum aureum suum atque argentum rudem, et postea recusauisse illis pecuniam soluere. rex-dryadum infirmitatem animi habuit, qui scilicet cupidus thesauri fuit, praecipue argenti atque gemmarum albarum; et quamquam arceruus eius diues fuit, ille semper plurimi cupidus fuit, quia non iam tantum thesaurum habuit quantum alteri ueteres dominidryadum. populus eius nec fodinas fodit nec metalla aut gemmas fabricauit, nec mercatura aut agri cultura multo usus est. omnis nanus omnia illa bene cognouit, quamquam gens Thorini in pugna uetere, de qua dixi, non implicata est. ergo Thorinus, cum incantamentum ab eo remotum esset et reuixisset, iratus est quod illi eum male tractauerunt; et porro constituit ut nulla uerba de auro aut gemmis ex eo traherentur.

rex ad Thorinum, cum ille apud eum productus esset, seuere spectauit et quaestiones multas illi rogauit. Thorinus autem modo dictitabat se esurientem esse.

“quare tu et gens tua ter impetum facere in populum meum epulantem conati sunt?” rex rogauit.

“in illos impetum non fecimus,”Thorinus respondit;“uenimus ut fidem obsecraremus, quod esurientes eramus.”

“ubi sunt amici nunc, et quid agunt?”

“nescio, sed puto in silua esurientes esse.”

“quid in silua agebatis?”

“cibum atque potionem quaerebamus, quod esurientes eramus.”

“sed quid uos in siluam primum duxit?” rex iratus rogauit.

his dictis Thorinus os clausit neque uerbum alium dixit.

“esto!” rex inquit, “eum auferte et eum seruate, donec ad ueritatem dicendam inclinatus erit, etiamsi centum annos manserit.”

tum dryades lora ei imposuerunt, atque eum in uno antro imo, ianuis ligneis fortibus, incluserunt et eum reliquerunt. cui cibum atque potionem, copiam utriusque, si non puram, dederunt; nam Dryades-Siluestres non fuerunt gobelini, et hostibus etiam pessimis, cum illos cepissent, satis bene utebantur. araneae ingentes fuerunt animalia solum quae immisericordes tractare solebant.

ibi in carcere regis miser Thorinus iacebat et, postquam non iam pro pane atque carne atque aqua gratus fuit, quid amicis infelicibus factum esset mirari coepit. mox rem cognouit; quae res est capitis proximis et inceptus

facinoris alterius in quo hobbitus iterum se utilem esse monstrauit.

CAPVT NONVM


CVPAE E CAPTIVITATE

postridie diei proelii cum araneis Bilbo et nani desperati se extremo tempore nixi sunt ad exitum quaerendum antequam fame sitique enecati fuerint. surrexerunt et in partem, qua octo e tredecim eorum coniecerunt semitam esse, titubauerunt; sed numquam cognouerunt num recte coniecissent. talis dies, qualis umquam in silua fuit, rursus in nigritiam noctis cadebat cum repente lux facum multarum sicut sescentarum stellarum rubrarum circum eos inflammabatur. Dryades-Siluestres cum arcibus atque hastis exsiluerunt et nanos desistere iusserunt.

de pugnando non cogitauerunt. etiamsi nani in tali statu non fuerint se re uera capi gauisi esse, cultri parui – arma sola quae possederunt – contra sagittas dryadum, quae oculum auis noctu icere potuerunt, non usui fuerint. itaque modo statim destiterunt atque consederunt atque manserunt – omnes praeter Bilbonem, qui anulo induto ad latus unum

celeriter lapsus est. quamobrem, cum dryades nanos in linea longa, alius post alium, alligauissent et eos numerauissent, hobbitum nec umquam inuenerunt nec numerauerunt.

neque, dum captiuos in siluam deducunt, eum, qui longe post lucem facum suarum ambulabat, audiuerunt nec senserunt. oculi cuiusque nanorum obligati sunt sed id non magni interfuit, nam etiam Bilbo, qui oculis uti potuit, locum quo ibant uidere non potuit, neque is, praeterea, neque alii locum, a quo inceperunt, sciuerunt. Bilbo quam maxime potuit nixus est ut faces subsequeretur, nam dryades nanos, aegros tamen atque fessos, ire cogebant quam celerrime potuerunt. rex illos festinare iusserat. repente faces destiterunt, et hobbitus modo tempus habuit ut illos interciperet antequam pontem transire coeperunt. qui pons trans flumen ad ianuas regis tetendit. aqua atra atque celer atque fortis subter fluebat; et in extremo portae fuerunt ante os antri ingentis, quae in latus decliuis arboribus tecti tetendit. ibi magni fagi usque ad ripam uenerunt, donec pedes sui in riuo fuerunt.



.Porta Rex-dryadum.

dryades captiuos trans pontem pepulerunt, sed Bilbo in tergo haesitauit. aspectus oris specus omnino non ei placuit, et constituit in animo ut amicos non relinqueret modo in tempore ut ad calces dryadum nouissimarum transiret antequam magnae portae regis post illas cum sonitu clausae sunt.

intrinsecus meatus luce rubra facum illuminabantur, et custodes-dryades cantabant dum iter secundum semitas flectentes, transeuntes atque resonantes faciunt. quae semitae illis ciuitatum-gobelinorum non similes fuerunt; fuerunt autem minores, minus profundae sub terra, et aeris

sanioris plenae. in magna aula cum columnis e lapide uiuo dolatis in sella ligni sculpti sedebat Rex-dryadum. in capite cuius fuit corona baccarum atque foliarum rubrarum, nam autumnus rursus aduenerat. in manu sua baculum querceum sculptum tenebat.

captiui ad eum deferebantur; et quamquam ille uultu toruo eos aspexit, suis dixit ut eos soluerent, nam pannosi et defessi fuerunt. “praeterea hic funibus non opus sunt,” inquit. “illis olim illatis est nihil egressus e ianuis magicis meis.”

diu et acute nanos de rebus eorum gestis atque quo irent atque unde uenissent interrogabat; sed paulum plus nuntii ex eis quam e Thorino recepit. qui morosi et irati fuerunt neque etiam urbanitatem finxerunt.

“quid egimus, o rex?” Balinus inquit, qui natu maiore superfuit. “estne nefas in silua amitti, esurire, sitire, ab araneis illaqueari? suntne araneae belluae mansuetae aut deliciae tuae, si necando eas iratus es?”

talis quaestio, sane, effecit ut rex iratior quam umquam fieret, qui respondit: “est nefas in finibus meis sine licentia errare. obliuisciminine uos in regno meo fuisse, uos uia, quam populus meus fecit, usos esse? nonne uos populum meum in silua ter persecuti estis uexauistisque et cum turba sua atque clamore araneas excitauistis? post omnem turbationem a uobis factam, quid uos huc ferret iure scire uolo, et si id mihi nunc non dicetis, uos omnes in carcere includam donec prudentiam decorumque

didiceritis!”

tum nanos singulos in cellis singulis poni et cibum atque potionem illis dari iussit, sed illos e ianuis carcerum paruorum egredi non sini, donec unus minime illorum sibi dicere pararet omnia quae se scire uellet. illis autem non dixit Thorinum quoque captiuum apud eum esse. quam rem Bilbo inuenit.

---

miserum dominum Bagginsem! – qui per tempus longum fessumque in illo loco habitabat, semper delitescebat, numquam anulum auferre audebat, uix dormire audebat, etiam in angulis obscurissimis remotissimisque, quos inuenire potuit, celatus. se occupandi causa in regia Regis-dryadum errare coepit. magia portas clausit, sed aliquando, si celer fuit, egredi potuit. copiae Dryadum-Siluestrium, ex occasione rege ducente, uenandi causa aut ad negotia altera in siluis et in terris ad Orientem agenda, aliquando euehi solebant. tum, si Bilbo pernicissimus fuit, elabi modo in tergo eorum potuit; nihilominus, fuit res periculosa gerenda. plus quam semel ille in ianuis secum concrepantibus, ut dryas nouissima praeteribat, paene captus est; iter tamen inter illos facere non ausus est propter umbram suam (omnino tamen tenuem atque uacillantem in luce facum), uel quod timuit ne offenderetur et inueniretur. cum egressus esset, quam rem nequaquam saepissime fecit, nihil boni fecit. nanos relinquere noluit, neque etiam quo in orbis terrarum sine illis iret sciuit.

dryades uenantes, per omnem tempus in quo afuerunt, persequi non potuit, itaque exitus e silua numquam inuenit, et miser errans in silua relinquebatur, territus ne se amitteret, donec redeundi occasio uenit. extrinsecus etiam esuriens fuit, nam nihil uenatoris fuit; sed cum in antris fuisset, cibo e cella aut mensa rapto dum nemo adest, uictum generis nesciocuius suppeditare potuit.

“sum similis effractario qui effugere nequit, sed domum eandem diem ex die effringere cogitur,” putauit. “haec est pars uastissima atque hebetissima omnis huius miseri, incommodi facinoris! utinam in foramine-hobbito meo iuxta focum calidum meum cum lucerna nitenti essem!” porro, saepe uolebat se nuntium auxilii mago mittere posse, quae res sane fuit omnino impossibilis; mox intellexit quid agendum sit, Domino Bagginsi, solo et inopi auxilii, agendum est.

demum, post hebdomadem aut duas huius generis uitae obrependi, custodes aspiciendo sequendoque, et quaecumque pericula, quae potuit, faciendo, locum in quo quisque nanus capiebatur inuenire potuerat. omnes duodecim cellas quorum in partibus diuersis aulae inuenit, et post tempus quoddam itinera per aulam optime nouit. die quodam ualde admiratus est se excipere custodes quosdam loquentes et discere nanum alium quoque in carcere esse, in loco praecipue profundo tenebrosoque. statim coniecit, sane, hunc esse Thorinum; paulo post inuenit se recte coniecisse. demum post difficultates

multas locum inuenire, ubi nemo adfuit, et cum duce nanorum loqui potuit.

Thorinus adeo miser fuit ut non iam de molestiis suis irasceretur et etiam de dicendo regi omnia de thesauro suo atque quaesitione cogitare inciperet (quae res demonstrauit eum ualde tristem factum esse), cum uocem paruam Bilbonis ad claustellum audiuit. uix auribus suis credidit. mox tamen certus fuit se non errare posse, et ad ianuam uenit ut cum hobbito in latere altero susurrans longe loqueretur.

itaque Bilbo nuntium Thorini ad quemque nanorum inclusorum furtiue ferre potuit, illis dicens Thorinum ducem illorum propinque quoque inclusum esse, et mandatum illorum regi a nemine patefaciendum esse, non iam, nec antequam Thorinus illos mandauit. nam Thorinus, quomodo hobbitus comites eius ab araneis seruauisset audiens, bonum animum iterum habuit et rursus constituit se a promissis regi portionis thesauri non redempturum esse, donec omnis spes effugiendi a uia aliqua euanuerit; re uera, donec admirandus Dominus Inuisibilis Baggins (quem quidem magni momenti habere incipiebat) cogitare de aliquo callido omnino defecerit.

nuntio recepto, ceteri nani omnino consenserunt. omnes putauerunt fore ut portiones suas thesauri (quod ab illis suum omnino habebatur, statu ipsorum malo et dracone etiam inuicto non exceptis) grauiter laederentur si Dryades-Siluestres partem illius postulauerint, et omnes

Bilboni crediderunt. uides rem effectam esse sicut Gandalphus dixerat, partim pro qua ratione, fortasse, Gandalphus discesserat atque eos reliquerat.

Bilbo tamen non sensit se tam bene sperare quam illos. non ei placuit quod omnes ei confiderent, et uoluit magum adesse. quod inutile fuit: ueri simile fuit omne spatium atrum Mirksiluae inter eos esse. consedit atque cogitabat atque cogitabat, donec caput suum paene ruptum est, sed nullam sententiam claram habuit. unus anulus inuisibilis fuit res optima, quae tamen quattuordecim hominibus non magno usui fuit. nihilominus, ut coniecisti, in fine amicos seruauerunt, et hoc est quomodo effectum est.

die quodam, Bilbo inquirens atque errans rem utilissimam inuenit: portas magnas *non* esse aditum solum in antra. riuus sub parte imarum regionum aulae fluebat, et in aliquo loco ulteriore ad orientem, ultra decliue e quo os princeps apertum est, Flumini Siluestri iunctus est. ubi hoc flumen subterraneum e latere collis exsiliebat, porta-aquaria erat. ibi tectum saxeum iuxta summum riui descendit, et ex illo *cataracta usque ad alueum fluminis deici potuit quae aliquem ingressione uel egressione ab illa uia prohiberet. cataracta autem saepe aperta est, nam multa per portam-aquariam commeabant. si aliquis ab hac uia introisset, ille inuenerit se in cuniculo duro, tenebroso esse, qui longe in imo collis tendebat; sed in uno loco, ubi sub antris transiit, tectum abscisum et *foribus in tabulato ingentibus querceis obductum erat, quae sursum in

apothecas regis apertae sunt. ibi cupae steterunt, atque cupae, atque cupae; nam Dryades-Siluestres, praecipue rex earum, uino ualde delectatae sunt, quamquam nullae uineae in illis partibus crescebant. quod uinum, et cibariae aliae, a longe a suis in Meridie, uel a uinetis hominum in terris quae longe absunt, ferebatur.

post unam cuparum maximarum celatus, Bilbo fores in tabulato et usum quarum inuenit, et ibi latens, sermonem seruorum regis audiens, quomodo uinum et aliae cibariae fluminibus aduersis ferebantur, aut trans terram ad Lacum Longum, didicit. illic oppidum hominum etiam florere uidebatur, in pontibus longe in aquam aedificatum, quod hostibus generum omnium, et praecipue draconi Montis, praesidio fuit. ex Oppido-Lacus cupae Flumine Siluestri aduerso subuehebantur, saepe inter se modo iunctae sicut rates contis uel remigiis flumine aduerso subigebantur; aliquando in lintres planas imponebantur.

cum cupae exhaustae essent, dryades illas per fores in tabulato iecerunt, et, porta-aquaria aperta, cupae, sursum deorsum se mouentes, in riuo effluebant, donec flumine secundo longe ad locum, in quo ripa prominuit iuxta marginem orientalem ipsum Mirksiluae, ferebantur. illic collectae atque inter se iunctae ad Oppidum-Lacus, quod iuxta locum stetit, in quo Flumen Siluestre in Lacum Longum fluebat, defluebantur.

---

aliquando Bilbo sedebat et de hac porta-aquaria cogitabat,

et miratus est num illa ad amicos liberandos uti posset, et demum inceptum periculosum consilii habuit.

cena captiuis data, custodes secundum meatus exibant, lucem facum secum auferentes ut tenebrae ubique essent. tum Bilbo *promum regis audiuit, qui ducem custodum bene quiescere iubebat.

“nunc mecum ueni,” ille inquit, “ut tu uinum nouum, quod modo aduenit, gustes. per noctem in lignum uacuum egerendo de apothecis laborabo, ergo primum bibamus ad laborem iuuandum.”

“optime,” dux custodum risit. “tecum gustabo ut uideam num id ad mensam regis idoneum sit. hac nocte est conuiuium et submittere nugas non satis erit!”

---

his auditis, Bilbo ualde commotus est, nam uidit se fortunatum esse et occasionem experiendi consilium periculosum statim habere. duas dryades secutus est, donec illae apothecam paruam introierunt et ad mensam, in qua duae lagonae magnae positae sunt, consederunt. mox bibere atque iucunde ridere coeperunt. fortuna generis insoliti Bilboni illo tempore fuit. uinum necesse est merum quod efficit ut Dryas-Siluestris somnolenta fiat; sed hoc uinum, ut uidetur, fuit uindemia feruida ingentium hortorum in Doruinio, quae non militibus eius nec seruis sed conuiuiis regis solum, et catillis minoribus neque lagonis magnis promi, destinata est.

mox dux custodum nutabat tum, capite in mensam

demisso, dormiebat. promus, qui non animaduertere uidebatur, aliquando secum dictitabat atque ridebat, sed mox etiam capite in mensam demisso, dormiebat et prope amicum stertebat. tum hobbitus irrepsit. mox, clauibus ducis custodum spoliatis, Bilbo quam celerrime potuit secundum meatus ad cellas festinauit. magnus globus bracchiis ponderosus esse uisus est, et saepe cor conturbatum est, anulo non excepto, nam claues non potuit prohibere quominus aliquando clare tinnirent crepitarentque, quamobrem ualde tremescebat.

primum ianuam Balini reclusit, tum iterum eam diligenter occlusit cum primum nanus exierat. admiratio maxima Balino incessit, sicut putare possis; sed, quamquam e paruo conclaui operoso egredi gauisus est, uoluit manere ut quaestiones rogaret et sciret quid Bilbo acturus esset, et omnia de illa re.

“nihil temporis nunc!” hobbitus inquit. “me modo sequere! nobis una manendum est neque periclitandum est ne separemini. nobis omnibus effugiendum est aut nemini, et haec est opportunitas ultima nobis. quam si inueniatur, nescio quis sciat in quo loco rex te, manibus pedibusque uinctis ut puto, deinceps deponat. noli disputare, mi lepidissime!”

tum a ianua ad ianuam iit, donec illi, qui eum sequebantur, in duodecim creti sunt – nemo quorum praecipue agilis fuit, propter tenebras et propter captiuitatem quorum diuturnam. quandocumque alius alium

offendebat, aut grunniebat, aut in tenebris susurrabat, cor Bilbonis micabat. “strepitum nanorum perdat!” secum inquit. omnia autem bene facta s unt, et custodibus nullis obuiam ierunt. re uera, illa nocte erat magnum conuiuium autumnale in siluis et in aulis supra. paene omnis populus regis epulabantur.

demum, postquam multum offenderant, ad carcerem Thorini, longe infra in loco profundo et fortuito non procul ab apothecis, aduenerunt.

cum Bilbo ei susurrauisset eum exire atque cum amicis coniungere, “pro fidem!” Thorinus inquit, “Gandalphus uera dixit, ut solet! tu effractarius satis bene esse uidetur, cum tempus adest. certus sum nos tibi semper seruituros esse, quidquid post hanc rem efficiatur. sed quid deinceps agendum est?”

Bilbo uidit tempus adesse ad consilium explicandum, quam maxime potuit; sed nequaquam certus fuit quomodo nani responsuri essent. merito timebat, nam id illis omnino displicuit, et, periculo non excepto, mussare coeperunt.

“nos omnes contundemur atque comminuemur, et porro submergemur, certo!” mugiuerunt.“cum claues rapere potuisses, putauimus te consilium prudens habuisse. haec est notio insana!”

“esto!” Bilbo ualde deiectus et quoque iratius inquit.“reuenite in cellas bonas uestras, et iterum nos omnes occludam ut illic commode sedeatis atque de consilio meliore cogitetis – sed non puto fore ut claues

umquam rapere iterum possim, etiamsi ad conandum incliner."

quae res illis fuit nimia, itaque illi placati sunt. in fine, sane, quodcumque a Bilbone subiectum est, id agere cogebantur, quia certe impossibile fuit ut uiam in aulas superiores inuenire conarentur, uel pugnando iter e portis, quae a magia clausa sunt, facerent; et mussare in meatibus donec iterum capti eritis non profuit. itaque hobbitum sequentes, in imas apothecas derepserunt. ianuam praeterierunt, per qua ducem custodum et promum uultibus renidentibus iucunde stertentes uidere potuerunt. uinum Doruinii somnia profunda atque iucunda fert. proximo die uultus ducis custodum a uultu praesenti ualde distulit, etiamsi Bilbo, antequam progressi sunt, furtim introierat et benigne claues in cingulum eius reposuerat.

"id illum ab aliqua molestia, quam ille habebit, seruabit," Dominus Baggins secum inquit. "homo malus non erat, et honestius captiuis utebatur. praterea de illa re dubitabunt. putabunt nos habuisse magiam fortissimam ad transeundum per omnes ianuas occlusas et euanescendum. euanescendum! nobis opus est occupari statim ad illam rem efficiendam!"

Balino obseruare atque monere custodem et promum, ne illi mouerent, iusso, ceteri apothecam adiunctam cum foribus in tabulato introierunt. fuit paruum tempus amitti. mox, ut Bilbo sciuit, dryades aliquae descendere iussae

erant ad promum iuuandum ut cupae exhaustae per ianuas in flumen pellerentur. quae, re uera, iam in media humo praeparatae ad depellendas ordinatae sunt. aliquae fuerunt cupae-uini, ergo inutiliores, quod in extremo sine multo sonitu non facile aperiri potuerunt, neque iterum facile claudi. sed inter eas fuerunt aliae nonnullae, quae ad cibaria altera portanda – butyrum, mala, omnia genera rerum – ad regiam regis usui fuerunt.

mox tredecim inuenerunt, quaque ad nanum habili. re uera, aliquae fuerunt spatiosiores, itaque, dum in illas inscendunt, nani anxie cogitauerunt de quassatione atque offensione, quas intus recepturi erant, quamquam quam maxime potuit Bilbo stramenta atque materias alteras quaerebat ut in tempore exiguo quam artissime comprimerentur. demum duodecim nani repositi sunt. Thorinus ualde fuerat molestus, se uertens atque torquens in uaso suo et fremens sicut ingens canis in paruo cubili; dum Balinus, qui nouissimus fuit, de spiramentis laborat et dicit se suffocari, antequam quidem operculum impositum est. Bilbo, foraminibus in lateribus cuparum clausis quam maxime potuit, et operculis quam tutissime fixis, nunc rursus solus fuit, circumcursans ad sarcinas componendas, et desperatus sperans consilium suum prospere successurum esse.

res immature non facta erat. post minutum aut duo solum quam operculum Balini fixum erat, sonitus uocum cum lucibus coruscantibus uenit. nonnullae dryades ridentes et

loquentes et cantum carptim cantantes in apothecas peruenerunt. conuiuium iucundum in una aula reliquerant et in animo habuerunt ad illum quam celerrime redire.

“ubi est senex Galion, promus ille?” alius inquit. “quem hac nocte apud mensas non uidi. illum adesse oportet ut nobis quid agendum sit monstret.”

“irascar si senex segnis est tardus,” alius inquit. “non uolo tempus perdere deorsum, dum cantus est sursum!”

“ha, ha!” quidem clamauit. “hic est senex scelestus cum capite eius in urceo! qui secum et amico suo duce paulum epulatus est.”

“eum quassa! eum excita!” ceteri impatienter clamauerunt.

quassari uel excitari Galioni nequaquam placuit, et etiam minus rideri. “uos omnes tardi estis,” mussauit. “ego hic manens atque manens infra sum, dum uos homines bibitis et iocose luditis et officiorum uestrorum obliuiscimini. est res non admiranda me fatigatum dormire!”

“res non admiranda,” illi inquiunt, “quod ratio ad manum in urceo stat! ueni ut nobis gustum potionis-dormiendi des antequam laborabimus! excitare ianitorem carceris illic non opus est. qui satis superque bibisse uidetur.”

tum circum semel biberunt et repente iucundissimi fiebant. mentes autem suas non omnino amiserunt. “serua nos, Galion!” nonnullae clamauerunt, “praemature

conuiuari coepisti et mentem perturbauisti! quasdem cupas plenas pro quibusdam uacuis hic aceruauisti, si pondus interest.”

“pergite laborare!” promus mussauit. “est nihil pondi sentiri in bracchiis fatui segnis. haec sunt quibus eundum est, et nullis aliis. facite quod dico!”

“esto, esto,” responderunt, cupas ad apertum uoluentes.“sit in capite tuo, si cupae butyri plenae regis atque uinum eius optimum in flumen pellantur ut Homines-Lacus illa gratis epulentur!”

reuoluite, reuoluite
uoluentes illas in foramen!
contundite, contundite!
abeant illae in certamen!

ita cantabant dum primum una cupa et tum alia crepitans ad aperturam atram uoluitur et in aquam frigidam nonnullos pedes infra depellitur. aliae cupae quidem fuerunt uacuae, aliae nano singulae completae sunt; sed omnes descenderunt, alia post aliam, inter se concrepantes atque contundentes, summa illarum, quae infra fuerunt, icientes, in aquam cadentes, muros cuniculi pulsantes, se mutuo impellentes, et secundo flumine sursum deorsum effluentes.

hoc tempore Bilbo infirmitatem consilii subito inuenit. ueri simillimum est te iampridem rem uidisse et eum risisse; sed non puto te ipsum in eius loco dimidiam

partem rei melius acturum fuisse. sane, ipse in cupa non fuit, neque alius qui eum imponere potuit, etiamsi quoddam opportunitas esset! hoc tempore uisus est certe amissurus amicos (paene omnes quorum iam per fores in tabulato atras euanuerant), et omnino relicturus, effractarius furtiuus manere in antris dryadum per aeternum coacturus. nam, etiamsi per portas superiores statim effugere potuerit, opportunitas umquam inueniendi nanos rursus minime habuit. uiam a terra ad locum quo cupae collectae sunt nesciuit. quid in orbe terrarum illis accidat sine se cogitauit; nam tempus non habuerat dicendi nanis omnia quae didicerat aut quid facturum, cum e siluis egrederentur, in animo habuit.

sententiis omnibus per mentem eius praetereuntibus, dryades iocossismae circum ianuam-fluminis cantare coeperunt. nonnullae iam egressae erant ad funes subducendos, qui cataractam ad portam-aquariam sustulerunt, ut cupas, cum primum omnes quarum infra natabant, liberarent.

atro flumine concito secundo
ad terras redeas tibique notas!
aulas antra relinque nunc profunda,
et decliuia linque nunc borea,
qua lateque latetque silua longe
obscuris tenebrisque nunc sub umbris!
praeternauiget arborum plagasque

ad diuum placidumque sibilatum,
scirpos et calamosque praeterire,
infelicia stagna praeterire;
alba nunc nebula statim peracta,
nocturnaque palude transitaque,
saltantes modo quaere, quaere stellas,
quaerendoque per ardua usque ad astra;
tum tendas iter ad diemque mane,
torrentemque supra, supraque harenam,
tendens ad nitidum Meridiemque!
lucem solis et hic diemque quaere,
ad pratum redeas et arua laeta,
quae pascunt pecores bouum feraces!
ad campos redeas adhuc supremos
in quis bacula crescit et uigetque
hic sub luminibusque sub diebus!
tendens ad nitidum Meridiemque!
atro flumine concito secundo
ad terras redeas tibique notas!

iam nunc cupa ultima ad ianuas reuoluebatur! quam desperatus neque quid aliter facturum sit sciens, misellus Bilbo tenuit et cum ea de limine depellebatur. in aquam aspergine, in aquam frigidam atramque cum cupa in

summo suo decidit.

anhelans et ligno adhaerens sicut mus resurrexit, sed frustra enisus nequaquam in summum ascendere potuit. quandocumque conabatur, cupa reuoluebatur ut rursus submergeretur. sane tam uacua fuit illa ut leuis quam cortex supernataret. auribus aquae plenis, nihilominus dryades adhuc cantantes supra in apotheca audire potuit. tum repente fores in tabulato sonitu clausae sunt et uoces earum hebetatae sunt. in cuniculo tenebroso fuit, in aqua gelida natans, solus – nam tu amicos in cupis omnino impositos adnumerare non potes.

mox macula glauca in tenebris in fronte apparuit. crepitu portae-aquariae subductae audito, inuenit se in medio esse sursum deorsum fluenti atque contundenti globo cuparum atque *uasorum ligneorum qui inter se compressi sunt ad subeundum sub arcum et egrediendum in flumen apertum. plurimum nixus est ne pulsus atque tunsus confringeretur; sed postremo turba pulsans frangi et singulae sub arco saxeo amoueri coepit. tum ille, etiamsi cupam suam conscendere potuerit, rem futuram fuisse inutilem uidit, nam inter summum eius et tectum subito pronum iuxta portam fuit nihil, ne hobbito quidem, spatii.

---

sub ramis dependentibus arborum in alterutra ripa egrediebantur. Bilbo quid nani sentirent et si multum aquae in uasa eorum lignea influeret miratus est. nonnulla eorum quae sursum deorsum praeter eum in caligine

fluebant humiliora in aqua uisa esse, eo coniecit nanos in eis inesse.

"utinam ego opercula satis stricte imposuerim!" cogitauit, sed mox de se adeo exercitus est ut nanorum oblitus sit. caput suum super aquam tenere potuit, sed algens horrebat et utrum moriturus esset antequam fortuna fuerit secunda, an quousque adhaerere posset, an se demittere et ad ripam natando conari periclitaretur miratus est.

mox fortuna sane facta est secunda: fluuius uorticosus nonnullas cupas iuxta ripam in uno loco tulit, quae ibi in quadam radice celata aliquamdiu haesitauerunt. tum Bilbo occasionem ascendi latus cupae suae, dum illa ad alteram tenetur, cepit. sursum repsit sicut mus submersus, et extensus ad se librandum quam maxime potuit in summo iacuit. aura fuit frigida sed melius quam aqua, et sperauit fore ut se non subito reuolueretur quam primum iterum profecti erunt.

mox cupae iterum liberatae secundo flumine se uertentes atque torquentes in fluuium principem egressae sunt. tum ille cognouit rem tam difficilem esse quam ueritus erat; sed nescio quomodo eam, quamquam ea miserabiliter incommoda fuit, agere potuit. feliciter leuissimus fuit, et cupa fuit magna et aliquantum rimosa ut iam nunc paulum aquae accepisset. nihilominus res fuit quasi mannum uentre globoso, qui semper de se uoluenti in gramine cogitabat, sine et freno et *stapediis equitare

conaretur.

postremo in hoc modo Dominus Baggins ad locum, in quo arbores tenuiores fiebant, aduenit. inter quas caelum pallidius uidere potuit. flumine atro repente in latum aperto, ibi aquae principi Fluminis Siluestris e ianuis magnis regis festinanter fluentis adiunctum est. fuit lamina hebes aquae non iam obumbratae, et in summo labenti fuerunt repercussiones nubium stellarumque saltantes atque fractas. tum aqua festinans Fluminis Siluestris copiam omnem cuparum et uasorum ligneorum ad ripam septentrionalem euerrit, quam in sinu lato eroserat, quae litus calculosum sub ripis dependentibus habuit et ad finem orientem a promunturio paruo saxi duri munita est. plurimae cupae in litus uadosum impactae sunt, quamquam paucae praeterierunt et molem saxeam tutuderunt.

in ripis homines, qui prospiciebant, celeriter contis cupas una in uada pepulerunt, et, cum omnes earum numerauissent, eas funibus inter se iunxerunt tunc eas donec mane reliquerunt. miseros nanos! Bilboni res nunc non mala fuit. e cupa elapso, per uada ad litus incessit, tum ad tuguria quaedam, quae iuxta marginem aquae uidere potuit, repsit. de cenam tollendo inuocatus non iam bis cogitabat, quandocumque occasionem habebat, quam rem diu agere coactus erat, nam quid esuriens uero significaret, non solum in cuppediis cellae bene impletae comiter delectari, sciuit. porro per arbores ignem aspexerat, qui eum uestibus madidis pannosisque in eo

frigidis lentisque haerentibus commouit.

---

de facinoribus eius illa nocte tibi dicere non opus est multa, nam nunc ad finem itineris in orientem appropinquamus et ad ultimum atque maximum facinus aduenimus, eo nobis maturandum est. hic sane, anulo adiuuante, primum rem maxime gessit, sed postremo a uestigiis madidis atque uia stillicidiorum, quae relinquebat ubicumque ibat aut sedebat, patefiebat; et porro pituita e naso effluere coepit, et ubicumque se celare conatus est, a crepitibus terrificis sternumentorum suppressorum inueniebatur. mox in uico iuxta ripam fluminis erat commotio bona; sed Bilbo in siluam effugit panem atque utrem uini atque crustum, quae non eius fuerunt, portans. ei reliquam noctem degendam est madido sicut nunc erat et longe ab igne, sed uter eum ad illam rem agendam adiuuit, et re uera paululum in foliis siccis quibusdam dormitabat, etiamsi annus senescebat et aer frigidus fuit.

rursus cum sternumento praecipue magno ex somno excitatus est. iam mane glaucum fuit, et iuxta flumen fuit strepitus iocosus. ratem e cupis faciebant quam mox dryades-ratis secundo flumine ad Oppidum-Lacus gubernaturi erant. rursus Bilbo sternuit. non iam madidus fuit sed sensit se omnino frigidum esse. tam celeriter quam crura rigida eum ferre potuerunt descendit ut, non animaduersus inter commotionem omnem, solum in

tempore globum cuparum ascendere posset. feliciter illo tempore nihil solis fuit, qui umbram incommodam iacere posset, et pro fidem ille diutius non sternuit.

contos maxime pepulerunt. dryades in aqua uadosa stantes cupas pulsabant atque pellebant, quae inter se alligatae concrepebant atque atterebantur.

“hoc est onus ponderosum!” aliquae querebantur. “nimis profundae natant – nonnullae earum nequaquam uacuae sunt. si eae ad litus luce solis uenissent, intus inspexissemus,” inquiunt.

“nilhil temporis nunc!” ratis gubernator clam auit, “repellite!”

itaque postremo egressi sunt, primum lente donec scopulum praeterierant, in quo ceterae dryades stabant ut illos contis depellerent, tum celerius atque celerius ut in fluuium principem introibant et secundo flumine ad Lacum denauigabant.

e carceribus regis effugerant, et siluam transierant, sed utrum uiui an mortui etiam superest inueniri.

CAPVT DECIMVM

HOSPITALITER EXCIPIVNTVR

ut defluebant dies illustrior atque calidior fiebat. paulo post, flumen umerum terrae praeceps, qui ad sinistram eorum descendit, circumiit. sub pedibus eius quasi rupibus mediterraneis fluuius profundissimus labens atque bulliens fluxerat. subito scopulus excidit. litora demersa sunt. arbores finitae sunt. tum Bilbo rem aspiciendam aspexit:

terrae circum eum late patebant, aquarum fluminis plenae, quod aut fractum in cursibus centum diuersis errabat, aut utrimque in paludibus atque stagnis cum insulis sparsis constitit; nihilominus aqua per medium recto flumine fortiter fluebat. et iampridem, capite atro in nubibus laniatis, ibi impendebat Mons ille! propinqui cuius proximi inter Septentriones et Orientem atque terram collapsam, quae illum ad eos iunxit, uideri non potuerunt. omnino solus trans paludes ad siluam prospiciens ascendit. Mons Solus ipse! Bilbo longe per facinora multa

ad eum uidendum peruenerat, et nunc aspectus cuius nequaquam ei placuit.

gubernatoribus loquentibus auscultans et ex fragmentis patefactis certior factus, mox intellexit se fortunatissmum esse eo quod umquam illum uidisset, etiam ab hac distantia. etiamsi uincula sua fuerant misera et positio sua adhuc incommoda fuit (nihil de nanis miseris sub eo dicatur), nihilominus felicior fuerat quam coniecerat. sermo omnis erat de mercatura, quae in uiis aquariis uenit atque reuenit, atque de commercio crescenti in flumine, ut uiae ex Oriente ad Mirksiluam uel euanuerunt uel desuetae factae sunt; et de rixis inter Homines-Lacus Dryades-Siluestresque de Flumen Siluestre conseruando atque ripas curando. illae terrae multum mutatae sunt a diebus ubi nani in Monte habitabant, dies quos plurimi solum sicut famam obscurissimam recordati sunt. in annis recentibus mutatae sunt, etiam post nuntios nouissimos, quos Gandalphus de eis acceperat. diluuies magnae atque imbres aquas ad orientem fluentes tumefecerant; fuerat terrae motus aut duo (quem nonnulli putauerunt esse draconis – quem significare solebant a maledicto atque nutu infausto ad Montem). paludes et uligines latius atque latius utrimque diffusae sunt. semitae euanuerant, simul multi, qui equitabant aut errabant, si uias amissas transeuntes inuenire conati erant. uia-dryadum per siluam, quam consilio Beornis nani secuti erant, nunc ad terminum dubium raro usum peruenit ad marginem siluae orientalem;

flumen solum nunc uiam tutam ab oris Mirksiluae in Septentrionibus ad campos ultra a monte obumbratos obtulit, et rex Dryadum-Siluestrium flumen custodiebat.

itaque uides Bilbonem in fine a uia sola, quae omnino utilis fuit, uenisse. fortasse Bilbo in cupis horrens consolatus sit, si cognouerit nuntium de hac re ad Gandalphum iampridem aduenisse, qui ualde anxius factus esset, quem re uera nunc perficere negotium alterum suum (quod in hanc fabulam non introit) ut ad copiam Thorini quaerendam se praepararet. quam autem rem nesciuit Bilbo.


qui solum sciuit flumen pergere atque pergere ad aeternum uideri, et se esurientem esse atque grauedinem malam in nare habere, et modum in quo Mons semper propius appropinquans frontem contrahere in eum atque ei minari uidebatur sibi displicere. paulo post, tamen, flumen ad meridiem tetendit et iterum Mons recessit, et postremo, multum diei, litoribus saxeis factis, flumen omnes aquas errantes in fluuium profundum atque rapidum una collocauit, ut aquas uelocissime uerrebant.

sole occaso flumen-siluestre ad Orientem ambitu altero uersum in Lacum-longum cucurrit. ibi utrimque habuit os latum portis saxeis quasi scopulis, pedes quarum calculis aceruati sunt. Lacus-Longus ipse! Bilbo numquam finxerat aquam quamlibet, quae non mare fuit, tantam uideri posse. adeo latus erat lacus ut litora aduersa parua esse uiderentur atque longe abesse, sed adeo longus erat ut

extremum illius septentrionalem, quod ad Montem tetendit, nequaquam uideri posset. Bilbo solum a tabula geographica sciuit Flumen Fluens, iampridem ubi stellae *plaustri iam fulgebant, e Conualle in lacum descendere, et Flumini Siluestri iunctum, aquis profundis implere illam quae olim certe fuerat uallis magna atque alta atque saxea. in extremo meridionale, aquae geminae rursus super deiectus aquarum altos effusae ad terras incognitas festinauerunt. in aere sereno uesperi sonitus deiectuum quasi fremitus procul audiri potuit.

non procul ab ora Fluminis Siluestris erat oppidum insolitum de quo dryades in apothecis regis loquentes audiuerat. quod in litore non aedificatum est, quamquam pauca tuguria atque aedificia illic erant, sed usque in summum lacum, contra uertices fluminis introeuntis munitum a promontorio saxi, quod sinum tranquillum formauit. pons magnus a ligno factus extensus est ad locum in quo oppidum ligneum negotiosum in molibus ingentibus ab arboribus siluae factis aedificatum est, non oppidum dryadum sed hominum, qui adhuc hic sub umbra montis-draconis in distantia habitare audebantur. qui in mercatura, quae flumen magnum a Meridie ascendit atque in carris praeter deiectus ad oppidum eorum uehebatur, adhuc florebant; sed in magnis diebus antiquis, cum Conuallis in Septentrione fuisset diues atque prospera, locupletes atque potentes fuerant, et classes nauium in aquis fuerant, aliae auri, aliae militum armatorum plenae, et bella atque gesta

fuerant, quae nunc solum fabulosa fuerunt. cum aquae in siccitatibus descendissent, moles putidae oppidi maioris in litoribus adhuc aspici potuerunt.



sed homines de talibus rebus pauca meminerunt, quamquam nonnulli etiam cantus ueteres de regibus-nanorum Montis, de Throre atque Thraino e sanguine Durini, et de Draconis aduentu atque Dominorum Conuallis occasu cantabant. nonnulli quoque cantabant Throrem atque Thrainum die aliquo redituros esse et fore ut aurum per portas-montis in flumina flueret et illa terra omnis cantibus nouis atque risibus nouis impleretur. haec fabula autem iucunda non multum negotiis cottidianis

profuit.

---

cum primum ratis cuparum aspecta erat, lintres remis e molibus oppidi egressae sunt et uoces gubernatores-ratis salutauerunt. tum funibus iactis atque remis agitatis mox ratis, e fluuio Fluminis Siluestris tracta, circum umerum altum saxi in sinum paruum Oppidi-Lacus remulco abstracta est. ibi non longe a capite ad litus tendenti pontis magni religata est. mox homines a Meridie peruecti alias cupas abstulerint, et alias bonis ab eis apportatis impleuerint, quae aduerso flumine domum Dryadum-Siluestrium referentur. interim, cupis natantibus relictis, dryades ratis atque nautae ad epulandum in Oppido-Lacu discesserunt.

qui mirati essent si uidere potuissent quid iuxta litus, postquam discesserunt et umbrae noctis descenderunt, effectum sit. primum Bilbo cupam quamdam abscisam et ad litus impulsam aperuit. e qua, gemitibus ab interiore emissis, nanus miserrimus erepsit. stramenta madida in barba eius umectata fuerunt; qui adeo in dolore atque rigidus fuit, adeo contusus atque iactatus ut uix stare aut per aquam uadosam incidere et gemens in litore iacere posset. in aspectu fuit esuriens sicut canis qui catenatus in cubili per hebdomadem desertus esset. fuit Thorinus, sed tu solum a catena eius aurea atque a colore cuculli eius caerulei, qui nunc sordidus atque pannosus fuit, filo fimbriato argenteo nunc decolorato, eum recognoscere

potuerit. diu non etiam comis erga hobbitum esse potuit.

"dic, esne uiuus aut mortuus?" Bilbo satis iratus rogauit. fortasse oblitus est se semel minimum plus quam nanos cenauisse, et porro bracchiis cruribusque uti potuisse, portione sua aeris maiore non excepta. "esne etiam in uinculis uel esne liber? si cibum uis et in hoc facinore fatuo pergere uis – est tui saltem non mei – te oportet bracchia sua ferire et crura fricare et conari ut tu me adiuues ad liberandos ceteros, dum fortunam habemus!"

Thorinus, sane, hanc sententiam esse acutam intellexit, itaque post plures gemitus aliquos surrexit et hobbitum adiuuit quam maxime potuit. se in tenebris in aqua frigida uolutantibus opus inueniendi cupas rectas fuit laboriosum atque foedissimum. extrinsecus pulsando atque clamando circa sex nanos, qui respondere potuerunt, solum inuenerunt. qui, exonerati atque ire ad litus adiuti, ibi frementes atque gementes sedebant uel iacebant; adeo madidi atque contusi atque compressi erant ut se liberatos esse uix intellegere possent, neque pro illa re recte gratum haberent.

Dwalinus atque Balinus duo miserrimorum fuerunt, itaque eos non profuit rogare ut auxilio essent. Bifur atque Bofur minus pulsati sunt atque sicciores, sed recubuerunt et aliqua facere recusauerunt. Filius atque Kilius tamen, qui iuuenes (pro nanis) erant et porro cum stramentis copiosis in cupas minores artius impositi erant, magis minusue ridentes egressi sunt, cum contusione aut duabus

solum et rigiditate, quae mox sanabatur.

“spero me numquam odorem malorum rursus olfacturum esse!” Filius inquit.“cuius uasum ligneum meum plenum fuit. mala per aeternum olfacere, dum uix mouere potes et frigidus atque aeger es, mentem alienat. nunc aliqua in orbis terrarum omnis edere, per horas atque horas, mihi placebit – sed non malum!”

Filio Kilioque libenter adiuuantibus, Thorinus et Bilbo demum eos, qui e copia superfuerunt, inuenerunt et liberauerunt. miser pinguis Bombur aut dormiebat aut torpebat; Dorius, Norius, Orius atque Gloinus madebant et semi-uiui esse uidebantur; singuli omnes ferendi sunt et in litore deponendi inertes.

“itaque! hic sumus!” Thorinus inquit. “et puto nos gratias agere stellis nostris atque Domino Bagginsi oportere. certus sum eum iure id exspectare, quamquam uolo eum instituisse iter commodius. nihilominus – omnes tibi ualde seruimus rursus, Domine Baggins. sane gratum digne habebimus, ubi cenauerimus atque sanati erimus. interim, quid postea?”

“Oppidum-Lacus propono,” Bilbo inquit, “quid aliud est?”

nihil aliud, sane, proponi potuit; itaque ceteris relictis, Thorinus et Filius et Kilius et hobbitus secundum litus ad pontem magnum ierunt. in capite cuius erant custodes, qui uigilias non satis diligenter agitabant nam iampridem fuit cum necessitas aliqua uera fuerat. rixis subinde de

uectigalibusfluminis exceptis, amici Dryadibus-Siluestribus erant. gentes aliae longe afuerunt; et nonnulli iuuenes in oppido aperte dubitabant draconem aliquem esse in monte, et illos barbis canis et illas nunc seniles, qui se in iuuenta sua eum in caelo uolantem uidisse dixerunt, riserunt. ergo res non admiranda est custodes iuxta ignem in tugurio suo bibere atque ridere, neque sonitum exonerantium nanorum nec uestigia quattuor exploratorum audire. ualde attoniti fuerunt, cum Thorinus Scutumquerceum per fores ingressus est.

"quis es tu et quid uis?" clamauerunt ad pedes exsilientes atque arma temptantes.

"Thorinus Thraini filius Throris filii Regis sub Monte!" nanus magna uoce inquit, et ita in aspectu fuit, uestibus scissis atque cucullo umectato non exceptis. aurum in collo eius atque in media parte corporis fulgebat; oculi sui atri profundique fuerunt. "ego redii. uolo Dominum oppidi uestri uidere!"

tum commotus erat tremendus. nonnulli stultiores e tugurio cucurrerunt quasi putauerunt fore ut Mons noctu aureus fieret et statim omnes aquae lacus flauescerent. dux custodum appropinquauit.

"et qui sunt illi?" rogauit, Filium, Kilium et Bilbonem significans.

"sunt filii filiae patris mei," Thorinus respondit, "Filius atque Kilius e sanguine Durini, et Dominus Baggins, qui nobiscum ex Occidente pergrinatus est."

“si in pace uenistis, arma uestra deponite!” dux inquit.

“nulla habemus,” Thorinus inquit, quod satis uerum fuit: cultri a Dryadibus-Siluestribus ablati sunt, et etiam ensis magnus Orcristus. Bilbo ensem paruum habuit, celatum ut solebat, sed de quo nihil dixit. “armis non opus est nobis, nos qui demum ad nostros redeunt, sicut in diebus antiquis traditum est. neque aduersus tantos pugnare possumus. ad dominum uestrum ferte nos!”

“est in epulis,” dux inquit.

“tum rationem meliorem ferendi nos ad eum habes,” Filius interiecit, qui de his sollemnitatibus impatiens fiebat. “defessi sumus et esurientes post uiam nostram longam et comites aegros habemus. nunc festina et nulla uerba plura habeamus, sin aliter dominus tuus tibi aliquid dicat.”

“ergo me sequimini,” dux inquit, itaque eos, sex hominibus circumstantibus, trans pontem atque per portas atque in forum oppidi duxit. quod fuit circulus latus aquae tranquillae a molibus altis, in quis domus maiores aedifcatae sunt, et a *crepidinibus longis ligneis, cum multis gradibus scalisque ad summum lacum descendentibus, circumiectus. ex una aula magna luces multae fulgurabant et sonitus uocum multarum emittebatur. fores cuius praetergressi, nictantes in luce steterunt mensas longas gentis plenas aspicientes.

“sum Thorinus Thraini filius Throris filii Regis sub Monte! redeo!”Thorinus magna uoce e foribus clamauit,

antequam dux aliquid dicere potuit.

omnes in pedes exsiluerunt. Dominus oppidi e cathedra magna saluit. nulli autem magis attoniti quam gubernatores-ratis dryadum, qui in parte inferiore aulae sedebant, surrexerunt. ante mensam Domini instantes clamauerunt:

"hi sunt captiui regis nostri, qui effugerunt, nani errabundi atque uagi, qui de se bene explicare non potuerunt, per siluas reptantes atque nostros uexantes!"

"estne hoc uerum?" Dominus rogauit. re uera, putauit illam rem esse multo magis ueri similem quam Regem sub Monte, si quisquam umquam fuisset, redisse.

"uerum est regem-dryadum nobis falso insidiatum esse atque nos ad terram nostram redeuntes in carcerem sine causa coniecisse," Thorinus respondit. "sed nec clauis nec claustrum possint impedire aduentum domum in diebus antiquis locutum. neque hoc oppidum est regnum Dryadum-Siluestrium. Domino oppidi Hominum Lacus, non gubernatoribus-ratis regis, dico."

tum Dominus haesitans ab alio ad alium intuebatur. Rex-dryadum in illis regionibus potentissimus erat, cum quo Dominus nullam inimicitiam habere uoluit, neque magni putabat cantus ueteres, mente uerso ad mercaturam atque uectigalia, ad onera atque aurum, cui consuetudini statum suum debuit. alii tamen mentibus diuersis rem celeriter sine eo composuerunt. nuntii e foribus aulae sicut ignis per omne oppidum dilati erant. homines inter aulam

atque extra eam clamabant. pedes festinantes crepidines celebrauerunt. nonnulli fragmenta cantuum ueterorum de reditu Regis sub Monte cantare coeperunt; nepotem Throris esse neque Throrem ipsum, qui redierat, nequaquam curauerunt. alii cantum susceperunt, qui trans lacum clarus atque altus resonaret.

ille Rex sub arduis
et saxeisque montibus relictis,
rector ille fontium
argenteorum, qui suis redibit!

et corona tollitur
et sarciuntur nunc lyrae senectae,
aureaeque personent
aulaeque uersibus nouis senectis!

arboresque montibus
herbaeque nunc sub sole fluctuabunt,
fluuiis opes fluent,
in amnibus nunc aureis fluentes.

riuuli fluunt, lacus

item libenter fulgurantque laete,
sic maligna sidera
cadentque montis rege nunc reducto!

ita cantauerunt, uel in modo simillimo, modo pluribus uerbis, et plura cum musica praeterea lyrarum atque fidum admixta clamabant. re uera, tanta commotio in oppido in recordatione aui senioris non cognita erat. Dryades-Siluestres ipsae ualde mirari coeperunt et etiam timere. quomodo Thorinus effugisset, sane, nesciuerunt, et regem suum fortasse grauiter errauisse cogitare coeperunt. Dominus tamen uidit se omnibus clamoribus parere, nunc cum maxime certe, et fingere se credere Thorinum esse eum, quem ipse dixerat, oportere. itaque cathedram magnam suam illi tradidit et Filium atque Kilium iuxta illum in sedibus honoratis posuit. sedes etiam apud mensam altam etiam Bilboni dabatur, neque explanatio ulla de loco unde uenisset – cantus nulli eum etiam in modo obscurissimo tetigerant – in festinatione omni rogabatur.

paulo post, ceteri nani in oppidum inter tantum ardorem admirandum inferebantur. omnes sanabantur atque pascebantur atque in domicilio conlocati atque in modo iucundissimo et satis superque idoneo indulgebantur. domus magna Thorino atque copiae suae tradebatur; opera lintrum atque remigum eis dabat; et turbae foris sedentes

per totum diem cantus cantabant, aut exclamabant ubicumque nanus quilibet tantum quantum nasum suum patefecit.

alii cantus fuerunt ueteres; sed alii fuerunt nouiores, qui fidenter de repente mortuo draconis et oneribus donorum diuitum secundo flumine descendentibus ad Oppidum-Lacus loquebantur. hi plerumque a Domino incitati sunt, qui nanis non multo placuerunt, sed interim illi bene contenti cito pingues et ualidi rursus fiebant. re uera, intra hebdomadem, in texto operoso coloribus ad ipsos idoneis uestiti, barbis pexis atque tonsis, gressibus superbis, omnino reualescerunt. Thorinus se gerebat atque ambulabat quasi regnum suum iam receptum esset et Smaug minutatim consecatus esset.

tum, sicut ille dixerat, humanitas nanorum erga hobbitum paruum cottidiano crescebat. non iam gemuerunt uel mussauerunt. salutem ei propinauerunt et eum permulserunt et in eum maxime laborauerunt; quae res fuit merita, nam ille sentit se non praecipue iucundum esse. nec aspectus Montis nec cogitationis draconis oblitus est, et porro grauedinem atrocem habuit. per tres dies sternebat atque tussibat, neque exire poterat, et postea etiam sermones in epulis circumscripsit ut solum diceret “gratiab tibi ago baxibam.”

---

interim, Dryades-Siluestres cum oneribus suis aduerso Flumine-Siluestri redierant, et in aula regis fuit magna

commotio. quid accidisset duci custodum et promo numquam audiui. nihil, sane, de clauibus aut cupis umquam loquebatur dum nani in Oppido-Lacus manent, et Bilbo curabat se numquam euanescere. uerumtamen, ut puto, plura coniecta quam nota sunt, quamquam Dominus Baggins certe quasi paulum arcanum erat. nihilominus rex nunc mandatum nanorum cognouit, saltem putauit se id cognoscere, itaque secum dixit:

"ita fiat! uidebimus! me inuito thesaurum nullum per Mirksiluam redibit. sed puto omnes illos ad finem malum peruenturos esse, qui illis dignus erit!" qui sane nanis pugnandis atque necandis tales dracones qualis Smaugem non credidit, et uehementer suspicatus est illos effracturam aut aliquid simile conaturos – quae res monstrauit eum esse dryadem sapientem, et sapientiorem quam homines oppidi, quamquam non satis recte coniecit, ut in fine uidebimus. hic, exploratoribus suis emissis circum litora lacus et tam longe ad septentrionem ad Montem, quam ire ausi sunt, mansit.

hebdomadibus duabus praeteritis, Thorinus de discessu cogitare coepit. ardore in oppido manente nunc tempus fuit ad auxilium adipiscendum. si morando omnibus frigescere liceat, res sit inutilis. itaque cum Domino atque consiliariis locutus, dixit mox se et copiam suam ad Montem progredi debere.

tum primum Dominus stupefactus est et paulo timuit; et miratus est num Thorinus saltem esset ab antiquis regibus

ortus. numquam cogitauit nanos re uera ad Smaugem appropinquare ausuros esse, sed credidit eos esse fraudulentos, et citius tardiusue inuentos, fore ut expellerentur. falsus fuit. Thorinus, sane, re uera nepos Regis sub Monte erat, nec quisquam scit quae nanus quidam aut ad ulciscendum aut recipiendum suum non audeat atque agat.

sed Dominum nequaquam paenituit illos dimittere. quos magno sumptu aluit, et aduentus quorum res mutauerat in unum diem festum longum, in quo negotium haesit. “ei discedant et Smaugem uexent, et uideant quomodo ille eos salutet!” cogitabat. “certe, o Thorine Thraini fili Throris filii!” inquit. “te oportet postulare suum. nunc est hora, de qua in antiquis diebus dictum est. tu tale auxilium, quale offerre possumus, habebis, et confidimus gratiae tuae cum regnum tuum receptum erit.”

itaque uno die, quamquam autumnus senescebat et uenti erant frigidi, et folia cito descendebant, tres lintres magnae remigibus, nanis, Domino Bagginse, atque multis cibariis oneratae, ex Oppido-Lacus egressae sunt. equi atque manni ab itinere flexuosi circummissi sunt, qui in loco ad egrediendum destinato illis obuiam irent. Dominus et consiliarii e gradibus magnis *curiae, qui ad lacum descenderunt, eos ualere iusserunt. homines in crepidinibus et e fenestris cantauerunt. remis mersis atque asperginibus factis lacum subeuntes ad septentrionem discesserunt in parte ultima itineris longi. Bilbo solus erat

miserrimus.

CAPVT VNDECIMVM

IN LIMINE

duos dies iter facientes usque secundum Longum Lacum remigauerant et nunc, in Flumen Fluens egressi, omnes Montem Solum, eminentem atrum atque altum ante eos, uidere potuerunt. fluuius adeo fortis fuit ut lente progrederentur. in fine tertii diei, nonnulla milia passuum aduersus flumen, ripa sinistra uel occidente appropinquata, e lintribus egressi sunt. hic equi et alia cibaria atque necessaria et manni, quibus ad utendum missis ut eis obuiam irent, eos iunxerunt. aliquae, quae potuerunt, in mannis collocauerunt, ceteris in aceruum sub tabernaculo factis, sed homines oppidi se cum eis etiam per noctem manere tam prope montem recusauerunt.

qui "non, utique, donec cantus ueri similes facti erunt!" inquiunt. in illis partibus feris facilius erat draconi et minus facilius Thorino credere. re uera, copiis suis non opus fuit ullo custode, nam omnis terra erat uasta atque

deserta. itaque comitatus eos reliquit, festinanter secundo flumine atque semitas litoris discedens, quamquam nox iam senescebat.

noctem frigidam atque solam degerunt et animi ceciderunt. proximo die rursus profecti sunt. Balinus atque Bilbo in tergo, quisque alterum mannum grauiter oneratum iuxta eum ducens, equitauerunt; ceteri aliquanto in fronte fuerunt, uiam lentam quaerentes, nam semitae erant nullae. inter septentriones et occidentem a Flumine Fluenti obliquo mouentes tetenderunt, et semper propius propiusque appropinquantes ad iugum ingens Montis, quod in meridiem ad eos eiectum est.

iter, quod tacitum furtiuumque erat, eos fatigauit. nihil risus nec cantus nec sonitus lyrarum fuit, et superbia atque spes, quae in cordibus eorum cantibus ueteribus cantantibus iuxta lacum commota erant, in miserum tardum ceciderunt. intellexerunt se ad finem itineris longi appropinquare, et porro finem fortasse futurum esse pessimum. terra circum eos immitis atque deserta fiebat. graminis fuit paulum, et mox nec frutex nec arbor fuit, et solum caudices fracti atque denigrati, qui de illis longe praeteritis loquerentur. ad Vastitatem Draconis uentum est, et anno deficiente uentum est.

---

nihilominus sine ullo periculo aut signo Draconis praeter uastitatem, quam ille circum latibulum suum fecerat, ad radices Montis peruenerunt. Mons ater atque tacitus ante

eos et semper altior super eos iacuit. castra prima in latere occidente ingentis iugi meridionalis, quod in fastigio, nomine Coruicollis, terminatum est, posuerunt. in quo specula uetus fuerat; sed quod ascendere non nunc ausi sunt, nam apertius fuit.

antequam egressi sunt ad ianuam celatam quaerendam apud iuga occidentalia Montis, in qua omnes spes eorum positae sunt, Thorinus misit exploratores qui terram ad Meridiem, in qua Porta Antica stabat, explorarent. pro quo Balinum, Kilium atque Filium elegit, et Bilbo cum eis iit. iter sub scopulis glaucis tacitisque ad pedes Coruicollis fecerunt. ibi flumen, late circumuectum super uallem Conuallis, in uia sua ad Lacum a Monte cursum uertit, rapidum atque clamosum fluens. ripa cuius fuit nuda et saxea, alta et ardua super fluuium; ut ex ea despicientes super aquam angustam, spumantem atque aspergentem apud multa saxa magna, in ualle lata ruinas glaucas domuum antiquarum, turrium, et murorum a bracchiis Montis obumbratas uidere possent.

“ibi iacet omnia Conuallis quae supersunt,” Balinus inquit. “latera montis erant uiridia cum siluis, et in diebus in quibus tintinnabula in illo oppido tinniebant, omnis uallis umbrosa erat diues atque amoena.” ita dicens in aspectu et miser et toruus fuit; fuerat unus comitum Thorini in die in quo draco uenit.

sequi flumen multo ulterius ad Portam non ausi sunt; sed ultra terminum iugi meridionalis progressi sunt, donec

celati iacentes post saxum intueri potuerunt et aperturam cauernosam atramque in scopulo ingenti inter bracchia Montis uiderunt. e qua aquae Fluminis Fluentis exsurrexit; e qua porro uapor quidam et fumus ater uenit. nihil in uastitate, praeter uaporem atque aquam, et aliquando cornix nigra ominosaque mouebat. sonitus solus erat sonitus aquae saxeae, et aliquando crocatio dura auis. Balinus horruit.

qui “redeamus!” inquit. “hic prodesse non possumus! et aues atrae istae non mihi placent, quae similes exploratoribus mali uidentur.”


“draco etiam uiuus est et in aulis sub Monte ergo – aut ita puto e fumo,” hobbitus inquit.

“quod non probat rem,” Balinus inquit, “nihilominus non dubito quin tu recte dixerit. sed fortasse aliquamdiu abest, aut foris in latere montis uigilias seruans iacet, et etiam puto fumos atque uapores emitti e portis: omnes aulae intus odore eius foedo implendae sunt.”

---

talibus sententiis maestis in animis, cornicibus semper croccientibus super eos persecutis, defessi ad castra redierunt. uerum in Iunio hospites apud Elrondem pulchrum fuerant, et quamquam autumnus solumnunc ad hiemem reptebat, quod actum esse in tempore iucundo nunc annos abhinc uisum est. soli in uastitate periculosa sine spe auxilii ulterioris fuerunt. fini itineris adfuerunt, sed semper fine quaesitionis, ut uisum est, tenus. nullis

multum animi superfuit.



nunc, mirabile dictu, plus Domino Bagginsi quam ceteris fuit. saepe tabulam geographicam Thorini mutuari et eam intueri solebat, runas et nuntium litterarum-lunae, quas Elrond legerat, considerans. hic nanos coegit ut in cliuibus occidentalibus ianuam celatam periculose quaerere inciperent. tum castra mouerunt ad uallem longam angustiorem quam conuallem magnam in Meridie, in qua Portae fluminis stabant, a iugis inferioribus Montis munitam. duo quorum hic ab aceruo principe ad occidentem in dorsis longis cum lateribus arduis, quae ad campum semper descenderunt, extrusa sunt. in hoc latere occidentali signa pauciores pedum praedatoriorum draconis fuerunt, et aliquid graminis mannis fuit. ex his castris occidentalibus, per totum diem a scopulo atque muro obumbratis donec sol ad siluam descendere coepit, a die ad diem in manibus laborabant ad semitas quaerendas, quae latus-montis ascenderunt. si tabula geographica sit uera, in aliquo loco excelso super scopulum ad caput uallis ianuam celatam stare oportet. cottidiane ad castra redierunt infelices.

sed demum ex inopinato id quod quaerebant inuenerunt. uno die Filius et Kilius et hobbitus secundum uallem redierant, et in angulo cuius meridionali apud saxa lapsa errauerunt. circa meridie, post magnum saxum, quod solum sicut columna stabat reptans, Bilbo ad aliquae scalis duris ascendentibus similia aduenit. qui et nani commoti eas

sequentes uestigia semitae angustae inuenerunt, quae saepe amissa, saepe rursus reperta, in summum iugum meridionale errabat et demum eos duxit ad *proiectum saxi etiam angustiorem, quod trans faciem Montis ad septentrionem tendebat. despicientes uiderunt se in summo scopulo ad caput uallis esse et castra sua infra despicere. taciti, muro saxeo dextero adhaerentes, singillatim secundum proiectum saxi progressi sunt, donec, muro aperto, in sinum muris arduis se uerterunt. ingressus cuius, quem inuenerunt, nec e locis inferioribus propter scopulum eminentem, nec e locis longioribus, quod adeo paruus erat ut quasi rima atra nec aliter esse uisus esset, uideri potuit. non fuit antrum, et ad caelum supra apertum; sed in fine cuius interiore, murus planus ascendit, qui in parte inferiore iuxta solum tam leuis et rectus fuit quam opus structoris, sed sine iunctura aut rima uidenda. fuit nulla signa aut postis aut liminis aut uestibuli, nec signa ulla aut claustrae aut clauis aut claustelli; nihilominus non dubitauerunt quin ianuam demum inuenerint.

eam pulsauerunt, eam obtuderunt, eam pepulerunt, eam obsecrauerunt ut moueretur, fragmenta incantamentorum fractorum de aperiendo dixerunt, sed nihil motum est. postremo, defessi in gramine ad pedes eius requieuerunt, tum uesperi diutine descendere coeperunt.

---

illa nocte in castra fuit commotio. mane rursus se mouere praeparauerunt. solum Bofurem atque Bomburem

relinquebant, qui mannos et tales copias, quales secum a flumine tulerant, custodirent. ceteri secundum uallem ierunt et semitam recens inuentam ascenderunt, itaque ad proiectum saxi angustum. secundum quod, cum adeo angustum atque exanime esset, cum casu centum et quinquaginta pedum iuxta eos in saxa acuta infra, nec sarcinas nec fasces ferre potuerunt; sed quisque spiram copiosam funis circum medium corporis sui tortam gessit, itaque demum, fortuna non aduersa, ad paruum sinum gramineum peruenerunt.

ibi castra tertia posuerunt, necessaria, quibus opus fuit illis, cum funibus ab inferiore subducentes. aliquando ab eadem uia unum talem aut plura nanorum magis agilium demittere potuerunt, qualem Kilium, qui talia nuntia, ut erant, mutuaret aut partem in uigiliis infra haberet, dum Bofur ad castra excelsiora subducitur. Bombur negauit se aut funum aut semitam ascendere.

"adeo pinguis sum ut talibus ambulationibus muscarum non eam," inquit. "uertigine laborabo et barbam meam calcabo, et tum rursus tredecim eritis. porro funes nodosi adeo tenues sunt ut pondus meum non ferant." quae res, felicter pro eo, non uera fuit, ut uidebis.

---

interim, aliqui proiectum saxi ultra apertum explorauerunt et semitam inuenerunt, quae altius altiusque in montem tendebat; sed ab illa uia longissime procedere non ausi sunt, neque utilissima fuit. in illo excelso quies quaedam

regnabat, quam nulla auis nec sonitus praeter illum uenti in rimis saxi interrumpebat. uocibus humilibus locuti sunt neque exclamauerunt nec cantauerunt, nam in omni saxo periculum latebat. ceteris, qui operam dabant ianuae celatae, res non magis fuit secunda. tam cupidi fuerunt ut, non se sollicitantes de runis aut litteris-lunae, sine requiete locum in facie plana saxi, in quo ianua celata sit, accurate inuenire conati essent. dolabras et instrumenta generum multorum ab Oppido-Lacus abstulerant, quibus primum uti conati sunt. sed cum saxum feriuissent, manubria assulatim fracta sunt et bracchia sua crudeliter quassata sunt, et capita chalybis quasi plumbum aut infracta aut flexa sunt. plane intellexerunt laborem fodiendi inutilem esse contra magiam, quae hanc ianuam clauserant; et porro sonitum repercussum timebant.

Bilbo in limine sedens solus et fatigatus fuit – re uera id non fuit limen, sane, sed spatium paruum gramineum inter murum et ingressum, quod iocose appellare “limen” solebant, uerborum Bilbonis, cum dixisset fore ut illi in limine sederent donec de aliquo cogitaturi essent, iampridem in conuiuio inopinato in foramine-hobbito recordantes. itaque sederunt atque cogitauerunt, aut errabundi errauerunt, et miseriores miserioresque fiebant.

animi, qui propter semitam inuentam paulum surrexerant, nunc in caligas descenderunt; nihilominus relinquere rem et discedere recusauerunt. hobbitus non iam multum clarior quam nani fuit. nihil agere praeterquam

sedere solebat tergo suo ad faciem-saxi et ad occidentem intueri per ingressum, super terras latas ad murum nigrum Mirksiluae, et ad partes ulteriores, in quibus aliquando putabat se aspicere Montes Nebulosos, paruos atque longe absentes. si nani eum rogauerunt quid ageret, respondit:

"dixistis fore ut officium meum sedere in limine atque cogitare esset, porro de introeundo mentionem fecistis, itaque sedeo atque cogito." sed uereor eum non multum cogitare de officio eius, sed de quibus, quae ultra distantiam caeruleam sita sunt, scilicet de Terra Occidentali tranquilla atque Colle atque foramine-hobbito eius sub illo.

in medio gramine lapis magnus glaucus iacuit, quem morosus intuitus est aut cochleas ingentes aspexit. quae sinum paruum clausum cum muris saxi frigidi amare uisae sunt, et multae erant magnitudine ingenti lentae atque glutinosae secundum latera illius reptantes.

"cras hebdomadem ultimam autumni incipit," quodam die Thorinus inquit.

"et hiems autumnum sequitur," Bifur inquit.

"et proximus annus illam sequitur," Dwalinus inquit, "et barbae nostrae creuerint donec de scopulo ad uallem dependebunt antequam aliquid hic accidet. quid pro nobis agit effractarius noster? quia ille anulum inuisibilem habet, et iam illum praecipue optime agere rem oportet, ego incipio cogitare illum per Portam Anticam ire

oportere ut res paulum inuestiget!”

his auditis, Bilbo – nam nani in saxis super saeptum, in quo sedebat, fuerunt – secum cogitauit, “pro fide! estne id de quo cogitare incipiebant? estne semper miser ego, cui eos a difficultatibus eorum liberandum est, postquam saltem magus discessit. quidcumque acturus sum? me sciuisse oportet fore ut aliquid mali mihi in fine contingeret. non puto me rursus uidere uallem infelicem Conuallis pati posse, nec istam portam uaporantem!!!”

illa nocte miserrimus fuit et uix dormiuit. proximo die nani omnes in diuersis partibus errabant; alii mannos infra exercebant, alii in lateribus montis uagabantur. per totum diem Bilbo tristis in sinu gramineo sedens saxum intuebatur, aut ad occidentem per ingressum angustum. insolenter sentit se exspectare aliquid. “fortasse magus repente redibit hodie,” secum cogitauit.

cum caput sustulisset, partem paruam siluae procul uidere potuit. sole ad occidentem se uertente, erat fulgor flauus in tecto illius longe absenti, quasi lux folia pallida ultima cepit. mox globum luteum solis ad aequalem oculis suis descendentem uidit. ad ingressum iit et ibi, pallida atque hebes super oram Orbis terrarum fuit tenuis luna noua.

tum cum maxime post se crepitum acrum audiuit. ibi in lapide glauco in gramine fuit turdus ingens, paene tam niger quam carbo, pectus cuius flauum maculis atris lentiginosum. crepita! cochleam ceperat, quam in lapidem

pulsabat. crepita! crepita!

subito Bilbo rem intellexit. omnium periculorum oblitus, in proiecto saxi stetit et, clamantes atque bracchia iactantes, nanos salutauit. alii, qui proximi fuerunt, quam citius potuerunt super saxa cadentes et secundum proiectum saxi ad eum uenerunt, mirantes quid in orbe terrarum ageretur; ceteri clamauerunt ut a funibus tollerentur (Bombure excepto, sane: ille dormiebat).

cito Bilbo rem explanauit. omnes silescebant: hobbitus iuxta saxum glaucum stabat, et nani barbis quassantibus impatientes intuebantur. sol inferius inferiusque cadit, et spes sua deciderunt. illa in cingulum nubium rubicundarum cadit et euanuit. nani gemuerunt, sed Bilbo paene immobilis adhuc stetit. luna parua ad orbis finientem mergebatur. uesper appropinquabat. tum repente, spe omnino demissa, radius quidam ruber solis sicut digitus per scissuram in nubibus effugit. fulgor lucis a recta uia per ingressum in sinum uenit et in faciem planam saxi cecidit. senex turdus, qui a pertica alta cum oculis scrutantibus et capite ad latus unum uerso intuitus erat, repente uibrauit. fuit magnus crepitus. assula quaedam saxi a muro fissa decidit. repente foramen circa tres pedes a terra apparuit.

cito, horrentes ne casus hebesceret, nani ad saxum properauerunt et id pepulerunt – frustra.

“illa clauis! illa clauis!” Bilbo uociferatus est.“ubi est Thorinus?”

Thorinus festinanter uenit.

“illa clauis!” Bilbo clamauit. “illa clauis, quae cum tabula geographica fuit! illam nunc experire dum etiam tempus est!”

tum Thorinus incessus, clauem in catena eius a collo suo abstulit. quam in foramen posuit, quae accomodata cum fragore uerta est! fulgore exstincto, sole occaso, luna absente, uesper in caelum exsiluit.

nunc omnes una id pepulerunt, et lente pars quaedem murisaxi inclinabatur. rimae longae atque rectae apparebant atque latiores fiebant. ianua altitudine quinque pedum atque latere tres delineabatur, et lente sine sonitu intus dehiscebat. tenebrae quasi uapor e foramine in latere montis effluere uisae sunt, et tenebrae profundae, in quibus nihil uideri potuit, ante oculos eorum iacuerunt, hiatus quidam intus atque deorsum tendens.

CAPVT DVODECIMVM

SCIENTIA INTRINSECVS

diu nani in tenebris ante ianuam stabant atque inter se disputabant, donec demum Thorinus dixit:

"nunc tempus adest ut praeclarus noster Dominus Baggins, qui comitem in uia longa bonum se praebuit, atque hobbitum uirtutis ingeniique longe supra proceritatem eius plenum, et, si ita mihi liceat dicere, fortunae secundae longe supra solitum possessorem – nunc adest tempus ut ille illud officium, quamobrem manui nostrae ascriptus est, faciat; nunc tempus adest ut Praemium eius mereat."

tu modo Thorini in occasionibus magni momenti assuescis, itaque plura tibi non dabo, quamquam multo diutius quam id dicebat. sane occasio fuit magni momenti, sed Bilbo sentit se impatientem esse. iam Thorino satis assuetus, sciuit quo uerba illius pertinebant.

"si uis officium meum esse ut ego primus in meatum

celatum eam, o Thorine, Thraini fili Scutumquerceum, barba tua semper longior crescat,” stomachosus inquit, “ita dic statim et desine! fortasse rem recusabo. iam te a duabus molestiis liberaui, quae uix in pacto pristino fuerunt, itaque, ut puto, aliquid praemii iam debeor. sed ‘tempus tertium omnia soluit’ ut pater meus dicere solebat, et nescio quomodo non puto me recusaturum esse rem. fortasse fortunae meae credere coepi magis quam in antiquis diebus solebam” – significauit uer prius antequam domo sua profectus est, quod saecula abhinc esse uisum est – “sed nihilominus puto me statim iturum et inspecturum esse, ut rem perficiam. nunc, quis mecum uenit?”

chorum uoluntariorum non exspectabat, itaque non frustratus est. Filius atque Kilius incommodi uisi sunt et in uno crure stabant, sed ceteri se condicionem accipere non simulabant – praeter senem Balinum, uigilem, qui hobbito aliquantum amicus fuit. qui dixit se saltem introiturum esse et porro fortasse paulum secundum uiam, ut paratus auxilium uocet, si necesse sit.

plurima, quae pro nanis dici possunt, sunt illa: in animo habuerunt Bilboni pro officiis eius pecuniam liberalissime soluere; tulerant eum ad gerendum pro se opus foedum, neque curauerunt miserum salaputium gerere id, si posset; sed omnibus uiribus se contendissent ad illum liberandum a molestia, si ille in ea fuisset, sicut in causa Trollorum fecerant in initio facinorum audacium antequam illis

fuerunt ullae rationes propriae gratias illo habendi. id est: nani non sunt heroes, sed quasi ratiocinatores qui pretium pecuniae bene aestiment; alii sunt callidi atque perfidiosi atque satis mali; alii non sunt, sed satis decentes sicut Thorinus atque Comites, si tu nimium non exspectas.

---

post eum stellae in caelo pallido cum nigrore obserato emergebant cum hobbitus per ianuam incantatam reptauit et furtim in montem ingressus est. iter fuit multo facilius quam ille exspectauerat. hic nec aditus gobelinourm nec antrum durum Dryadum-Siluestrium fuit. hic fuit meatus a nanis in summo diuitiarum eorum atque artium factus: rectus sicut regula, solis lateribusque planis, in decliui immutabili tendens usque ad finem nescio quem longe absentem in tenebris infra.

paulo post Balinus Bilboni “feliciter tibi!” dixit et stetit ubi lineamentum hebes ianuae etiam uidere potuit, et, propter iocum imaginum uerborum in cuniculo, uoces susurrantes ceterorum modo foris audire potuit. tum hobbitus anulo induto et ab imaginibus monitus ut nullum sonitum produceret, tacitus deorsum, deorsum, deorsum in tenebras repsit. metu horrebat, sed facies parua fuit dura atque torua. iam hobbitus dissimillimus cui, qui iampridem e Bag-Fine sine sudario in sinu excucurrerat. per longissimum tempus sudarium in sinu non habuerat. pugione in uagina soluto et cingulo stricto progressus est.

“nunc demum tua res agitur, Bilbo Baggins,” secum

inquit, “illa nocte conuiuii tu pedem in ea posuit, et nunc tibi eum extrahendum est et poenam eius soluendam! me miserum, quam stulte ego fui et sum!” inquit illa pars ipsius minime Tookensis. “thesauri a draconibus custoditi mihi nequaquam usui sunt, et maneant omnes per aeternum hic, modo liceat mihi e somno excitari, ut inueniam hunc cuniculum malum esse atrium meum domi!”

non excitatus, sane, etiam perrexit atque perrexit, donec omnia signa ianuae in tergo euanuerant. omnino solus fuit. mox sentit calorem quemdam adesse incipere. “estne tamquam fulgor, quem appropinquantem de illo loco in fronte uidere uideor?” putauit.

ita fuit. dum progreditur, fulgor crescebat atque crescebat, donec de illo nihil dubii fuit. fuit lux rubra quae gradatim rubrior atque rubrio fiebat. porro, sine dubio cuniculus nunc calidus fuit. fila uaporis praeter eum sursum fluxerunt, ut is sudare inciperet. sonitus quidam quoque in auribus eius singultire coepit, bulliens quidam sicut sonitus magnae ollae in igne feruescentis, murmure sicut ingentis felis-maris murmurante mixtus. hic crescebat in singultum certissimum praegrandis animalis alicuius, qui in somno eius in illo loco infra in ardore rubro in fronte stertebat.

hic Bilbo stetit. pergere ab illo loco fuit res fortissima quam umquam fecit. res tremendae, quae postquam acciderunt, nihil ad illam fuerunt. proelium uerum pugnabat solus in cuniculo, antequam ingens periculum,

quod insidiabatur, umquam uidit. nihilominus is, breuiter moratus, perrexit quidem; et tu eum ad finem cuniculi uenientem fingere potes, cuius aditus paene in magnitudine atque forma ianuae supra fuit par. per quem caput paruum hobbiti inspicit. ante eum magna apotheca ima aut aulacarcer nanorum antiquorum in radice Montis iacet. paene tenebrosa est ut immensitas eius modo obscure conici possit, sed ascendens a latere propinquo soli saxei est magnus ardor. ardor Smaugis!

---

ibi iacebat ipse, draco praegrandis ruber-aureus, grauiter dormiens; susurrus e faucibus atque naribus effundebatur, et fila fumi, sed ignes eius in somno fuerunt exigui. subter eum, sub omnibus membris eius et ingenti cauda torta eius, et ubique circum eum, trans sola inuisa extendentes, acerui innumerabilies rerum pretiosarum, auri fabricati et infabricati, gemmarum atque lapillorum, et argenti rubro maculati in luce rubicunda iacebant.

Smaug iacebat, alis replicatis sicut uespertilio immensus, in latus unum partim uersus, ut hobbitus inferna eius et uentrem longum pallidumque gemmis atque fragmentis auri crustatum propter longe iacentem in lecto magno pretio, uidere posset. post illum, ubi muri fuerunt proximi, loricae, cassides atque secures, enses atque hastae dependentes obscure uideri potuerunt; et ibi in ordinibus stabant magnae ollae atque uasa impleta talibus diuitiis, quae nequaquam conici potuerunt.

dicere animam Bilbonis ablatam esse nequaquam rem describit. cum Homines linguam transtulissent, quam a dryadibus in diebus in quibus orbis omnis admirabilis fuerat, didicerant, nulla uerba supersunt quae tumultum eius exprimunt. Bilbo fabulas et cantus de aceruis-draconum antea audiuerat, sed splendor, cupiditas, gloria talis thesauri ad eum nondum aduenerat. cor suum fascinatione et cupiditate nanorum impletum atque transfixum est; et immobilis, paene custodis terribilis oblitus, aurum ultra aestimandum et numerandum aspexit.

---

per quod saeculum esse uisum est aspiciebat, donec paene contra uoluntatem suam ductus, furtim ab umbra liminis emersit, trans solum ad marginem proximum aceruorum thesauri. super quem draco dormiens iacebat, dirus minans etiam in somno. magna pocula ansis duabus, tam ponderosa quam ferre potuit, prehensa oculum pauidum sursum adiecit. Smaug alam mouit, unguem aperuit, murmur stertentis eius sonum suum mutauit.

tum Bilbo effugit. draco autem e somno non excitatus – non iam – in somnia altera auaritiae atque uiolentiae se mouit, ibi in aula sua furata iacens, dum paruus hobbitus cuniculum longum operose ascendit. corde suo palpitante et cruribus quassantibus quasi febriculosis magis quam dum descendit, etiam poculam tenuit, et maxime cogitauit: “rem feci! id praestabit illis. ‘similior uenditori condimentorum quam effractario’ quidem! ita, de quo nihil

plura audiemus!”

plura non audiuit. Balinus in uidendo rursus Bilbonem laetitia exsultauit, et tam gauisus quam miratus est. Bilbonem sustulit et eum sub diuo abstulit. erat media nox et umbrae stellas uelauerant, sed Bilbo oculis clausis anhelans et in sensu aeris dulcis rursus gaudens iacebat et nanos commotos aut quomodo eum laudarent et eum in tergum pulsarent et operam suam atque familiarum suarum per saecula futura ei darent, uix animaduertit.

---

nani adhuc poculam a manu ad manum tradebant et de thesauro recepto iucunde loquebantur, cum repente murmur praegrandis in monte infra excitabatur, sicut ille fuit senex mons igniferus, qui in animo habuit eruptiones rursus incipere. ianua post eos paene clausa et a lapide obstructa, ut clauderi non posset, nihilominus secundum cuniculum longum de profundis longe infra imagines terribiles mugientis atque calcantis emerserunt, quae effecerunt ut solum sub eis quassaretur.

tum nani, gaudii et gloriationis prioris obliti, metuentes se proiecerunt. Smaug etiam magni aestimandus est. si iuxta eum habitas, non tibi prodest draconem uiuum a rationibus tuis omittere. dracones omnibus diuitiis suis uere non multum utuntur, sed plerasque omnes uncias sciunt, praecipue postquam illas diu possederunt; et Smaug non exceptus est. qui a somnio trepido (in quo bellator quidam, proceritate omnino exigua, sed ense

acerbo atque magna uirtute instructus, foedissime fingebatur) ad dormitantem, et a dormitante ad omnino excitatum transierat. est in antro eius spiritus aeris insoliti. emittiturne ab illo foramine paruo aura? quod numquam ei satis placuit, paruitate eius non excepto, et nunc suspiciosus oculis toruis id aspexit et quamobrem numquam id obsaepisset miratus est. recens semisentit se capere imagines hebetes pulsationis cuiusdam a longe supra, quae ad latibulum eius descenderat. se mouit et collum suum ad odorandum tetendit. tum poculam suam desiderauit!

fures! ignes! nex! cum ad Montem primum aduenisset talis res non acta erat! ira sua nequaquam describi potest – talis ira qualis modo uideri cum diues, qui plura habent quam quibus uti possunt, subito aliquid, quod diu possederunt sed quod numquam antea illis aut usui est aut desideratum est, amitterent. ignem suum eructauit, aula fumauit, radices montis quassauit. frustra caput suum foramini paruo obtrusit, et tum longitudinem suam contorquens et sub terra sicut tonitrus tonans, e latibulo profundo, per magnam ianuam, in ingentes meatus regiae-montis et sursum ad Portam Anticam excucurrit.

de uenando per totum montem, donec furem caperet et eum laniaret atque calcaret, solum cogitauit. e Porta egressus, aquis in uaporem ferocem stridentemque erectis, flagrans in aerem sursum exsiluit et in summo monte cum flamma uiride atque coccina emicata consedit. nani,

rumore atroci uolatus eius audito, iuxta muros aggeris graminei subsiderunt, sub magnis saxis se demittentes, sperantes nescio quomodo se oculis terribilibus draconis uenantis uitaturos esse.

in illo loco omnes necati essent, si Bilbo rursus rem non gesserat."festinate! festinate!" anhelauit."illa ianua! ille cuniculus! hic locus non prodest."

excitati a uerbis illis, in cuniculum repturi, cum Bifur clamauit: "consobrini mei! Bombur atque Bofur – quorum obliti sumus, qui in ualle infra sunt!"

"occidentur, et manni quoque, et omnes copiae nostrae amittentur," ceteri gemuerunt. "nihil agere possumus."

"gerrae!" Thorinus inquit, dignitate sua recollecta. "eos relinquere non debemus. intrate, Domine Baggins et Baline, et uos duo Fili atque Kili – draco nos omnes non capiet. nunc uos ceteri, ubi sunt funes? festinate!"

illa fortasse erant momenta temporis pessima quae usque ad hoc tempus passi erant. sonitus horribiles irae Smaugis in cauernis saxeis longe supra resonabant; ille flagrans statim descenderit aut circum eos uolauerit et in illo loco eos, iuxta praeceps scopuli periculosum, furiose funes subducentes, inuenerit. Bofur ascendit, et etiam omnia erant tuta. Bombur ascendit, anhelans atque flans dum funes gemunt, et etiam omnia erant tuta. instrumenta nonnulla et fasces copiarum ascenderunt, et tum periculum in eos descendit.

stridor quidam audiebatur. lux rubra apices saxorum

stantium tetigit. draco uenit.

uix tempus ad fugiendum ad cuniculum habuerunt, in quem sarcinas suas ducebant atque trahebant, cum Smaug, latera montis flamma lambens, magnas alas sonitu quasi uento frementi pulsans, cum fragore a Septentrione aduenit. spiritus eius calidus gramen ante ianuam torrefecit, et per rimam, quae reliquerant, ductus illos celatos iacentes adussit. flammae flagrantes exsiluerunt et umbrae nigrae saxorum saltauerunt. tum tenebrae, dum hic iterum praeterit, descenderunt. manni pauore ululauerunt et, funibus ruptis, insane auolauerunt. draco, se uertens et descendens ad eos persequendos, discessit.

"id faciet finem iumentorum miserorum!" Thorinus inquit. "nihil e Smauge effugere potest, cum ille id uidit. hic nos sumus, et hic nobis manendum est, nisi aliquis per milia passuum longa et aperta ad flumen Smauge uigilante redambulare cupit!"

quae sententia non iucunda fuit! secundum cuniculum ulterius derepserunt, et ibi horrentes iacuerunt, quamquam tepidus atque grauitas erat locus, donec aurora per rimam ianuae pallida uenit. aliquando per noctem fremitum draconis uolantis crescentem tum praetereuntem et hebescentem audire potuerunt, ut circum atque circum latera montis uenabatur.

qui a mannis, et a uestigiis castrorum, quae inuenerat, coniecit homines e flumine atque Lacu aduenisse et latus-montis a ualle, in qua manni steterant, ascendisse; sed

ianua oculo eius quaerenti restitit, et sinus paruus muris altis flammas ferocissimas propulsauerat. diu atque frustra uenatus erat donec, ira sua frigida ab aurora facta, rediit ut in lecto aureo cubaret – et uires nouas colligeret. negauit fore ut furtum aut obliuiscatur aut ignoscat, etiamsi mille annorum eum in saxum fumans uerterint, sed morari ei suffecit. lentus atque tacitus ad latibulum rursus repsit, et oculos semi-clausit.

cum mane aduenisset, terror nanorum decreuit. intellexerunt talia pericula in talem custodem tractando esse ineuitabilia, et quaesitionem relinquere non iam prodesse. neque nuncipsum discedere potuerunt, quam rem Thorinus indicauerat. manni aut amissi aut necati erant, et aliquando illis manendum fuit antequam Smaug adeo uigilias remisit ut a uia longa ire pedibus auderent. felicter satis copiarum seruauerunt quae illis aliquando sufficerent.

diu disputabant quid acturum esset, sed quomodo Smaugem dimittant cogitare non potuerunt – quae res semper infirmitas consiliorum fuerat, sicut Bilbo in animo habuit mentionem facere. tum in morem populi, qui in diuersas sententias omnino distracti sunt, in hobbitum mussare coeperunt, eum condemnantes propter illas res, quae primum sibi ualde placuerant: propter poculam ablatam atque iram Smaugis praemature commotam.

“quomodo aliter effractarius rem agat, existimatis?” Bilbo iratus rogauit. “ego dracones caedendos non

conduxi, quod est opus bellatorum, sed thesaurum furandum. quam rem incepi quam optime possum. exspectatisne me cum omni aceruo Throris in tergo meo redambulare? si aliquis musset, mihi liceat de illa re dicere. uos duxisse quinque centum effractarios non unum oportet. certe auus uester ualde laudari meret, sed fingere non potestis uos umquam praegrandem magnitudinem diuitiarum eius mihi patefecisse. centum annis mihi opus erit ad omnia tollenda, etiamsi quinquagiens maior sim, et Smaug tam mansues quam cuniculus sit."

his dictis, sane, nani ueniam eius petiuerunt. "ergo quid proponis nobis agendum sit, Domine Baggins?"Thorinus urbane rogauit.

"hoc tempore nescio – si de thesaurum auferendo uis. illa res plane et in fortuna noua nescio qua et in Smauge dimisso omnino consistit. dracones dimittere est res omnino mihi inusitata, sed de ea cogitabo quam maxime possum. mea sententia, nullas spes omnino habeo, et cupio me tutum esse domi."

"cum maxime aliud cura! quid nobis agendum est hodie?"

"ita, si meum consilium uis, dicam nos nihil agere posse praeterquam manere in loco quo sumus. in die non dubito quin nos satis tuti ereptare possimus ad deambulandum. fortasse mox unus aut duo electi ad copiam iuxta flumen redeant ad alimenta nostra replenda. interim autem noctu omnes manere in cuniculo oportet.

“nunc condicionem uobis feram. anulum meum habeo et hoc meridie ipso derepam – quo tempore, si umquam, Smaugem dormire oportet – ut quid ille agat uideam. fortasse aliquid eueniet. ‘omnis uermis locum infirmitatem habet,’ ut pater meus dicere solebat, quamquam certus sum illum esse draconum expertem.”

nani, sane, condicionem cupide acceperunt. iam paruum Bilbonem magni aestimauerunt. qui nunc in facinore eorum audaci dux uerus factus est. sententias suas atque consilia sua habere coeperat. cum meridies aduenisset, se praeparauit ad iterum in Montem descendendum. quod sane non ei placuit, sed res nunc non tam male fuit, quod magis minusue quid in fronte sit iam sciuit. si plura de draconibus atque ingeniis eorum callidis sciuerit, fortasse magis timuerit atque minus sperauerit se illum, dum dormit, opprimere posse.

sole lucente profectus est, sed in cuniculo erat tam tenebrosa quam nox. lux e ianua, paene clausa, mox hebescebat dum descendit ille, qui adeo tacitus in eundo erat ut fumus in uento molli uix illi superesse posset, et in animo habuit se existimare superbum, ut ianuam inferiorem appropinquabat. solum fulgor hebetissimum uideri potuit.

“Senex Smaug fatigatus dormit,” putauit. “me uidere nequit, nec me audire poterit. bono animo habe, Bilbo!” de olfactu draconum aut oblitus est aut numquam audiuit. est res quoque incommoda illos, dum dormiunt, unum oculum

semi-aperire ad uigilandum posse, si suspiciosus sint.

certe, cum Bilbo ex aditu aspexisset, Smaug grauiter dormire uisus est, paene mortuus et ater, odore uaporis inuisi uix stertens. Bilbo in solum perrecturus erat cum radium rubrum tenuem atque acutum subtus a palpebra oculi laeui Smaugis uidit. ille solum fingebat se dormire! ille aditum cuniculi intuebatur! Bilbo festinanter regressus felicitati anuli benedixit. tum Smaug locutus est.

“itaque, fur! te olfacio et aerem tuum sentio. spiritum tuum audio. ueni huc! tu ipse iterum donum carpe, nam multa supersunt!”

sed Bilbo non tam indoctus in doctrina-draconum fuit quam id. si Smaug sperabat illum satis facile propius uenturum esse, falsus est. “minime, tibi gratias ago, O Smaug Tremende!” respondit. “donorum causa non ueni. modo cupiui te aspicere et cognoscere num tu uere sit tam magnus quam in fabulis traditur. illis non credo.”

“itane dicis?” draco inquit, aliquantulum gratus, etiamsi illis uerbis non credidit.

“re uera, carmina atque fabulae rem ueram nequaquam contingunt, O Smaug Optime Maxime Cladium,” Bilbo respondit.

“iucundos mores habes pro fure atque mendaci,” draco inquit. “tu nomini meo familiaris esse uideris, sed ego meminisse non uideor ut te olfecissem ante. quis es tu et unde uenis, quaeso?”

“ita quaesis! sub colle uenio, et subter colles et supra

colles uiae meae tetenderunt. atque per aerem. ego sum qui inuisus ambulat."

"ita credo," Smaug inquit, "sed id uix est nomen solitum."

"sum inuentor rerum reconditarum, sector araneorum, musca cum aculeo. propter numerum fortunatum electus sum."

"tituli iucundi!" Smaug rem naso suspendit. "sed numeris fortunatis non semper uincere potes."

"sum qui amicos uiuos sepelit et eos submergit et eos iterum ex aqua uiuos tollit. a fine sacci ueni, sed nullus saccus super me ueniebatur."

"haec non tam credibilia uisa sunt," Smaug risit.

"sum ursis amicus, et aquilarum hospes. sum Anuli-uictor et Fortunae-gestor; et sum Cupae-rector," Bilbo continuabat, qui in aenigmatibus suis delectari incipiebat.

"melius est!" Smaug inquit, "sed noli permittere ingenio tuo ut te auferat!"

---

hic, sane, est modus aptus ad draconibus loquendum, si nomen proprium tuum patefacere non uis (quae est res sapiens), neque uis eos a recusatione plana irritare (quae quoque est res sapientissima). omnis draco nec blanditiae loquendi in aenigmatibus, nec perdendo tempus ad illa intellegere temptandum resistere potest. hic fuerunt multa, quae Smaug nequaquam intellexit (quamquam exspecto te intellegere, nam omnia de facinoribus Bilbonis audacibus,

quae ille attingebat, scis), sed putauit se satis intellegere, et intra se cachinnauit.

"sic priori nocte cogitaui," secum subrisit. "Homines-Lacus, aliquid consilium foedum istorum miserorum mercatorumcuparum Hominum-Lacus, aliter lacertus sum. ad illum locum per saeculum atque saeculum non ueni; sed mox id mutabo!"

"maxime, O Cupae-rector!" magna uoce inquit. "fortasse manno tuo fuit nomen Cupa; fortasse non, quamquam ille satis pinguis fuit. inuisus ambules, sed totum iter non ambulauisti. mihi licet tibi dicere me priori nocte sex mannos edisse, et mox omnes ceteros capturum atque esurum esse. pro cena optima, unum consilium pro salute tua tibi dabo: noli magis agere cum nanis quam potes!"

"nani!" Bilbo inquit fingens se mirari.

"noli mecum loqui!" Smaug inquit. "odorem (atque gustum) nani scio – nemo melior. noli mihi dicere me mannum a nano equitatum edere posse neque id scire! ad finem malum uenies, si cum talibus amicis ieris, Fur Cupae-rector. non recuso quominus tu redeas atque ita a me illis dicas." sed non Bilboni dixit unum odorem esse quod nequaquam intellegere potuit, scilicet odoremhobbitum; cuius omnino expers fuit, et de quo quid agat maxime non habuit.

"puto te priori nocte pro illa pocula pretium aequum habuisse?" continuabat. "nunc ueni, habuistine? omnino

nihil! ita, sic est mos illorum. porro puto illos foris delitiscere, et tibi opus esse ut omnem laborem periculosum facias et, me non aspiciente, auferas quidquid possis – pro illis? habebisne partem aequam? noli rei credere! si uiuus abscesseris, felix eris.”

---

nunc Bilbo sentire coepit se ualde incommodum esse. quandocumque oculus Smaugis errabundus, eum in umbris quaerens, trans eum fulgebat, ille horruit et a desiderio inexplicabili excurrendi atque se patefaciendi atque Smaugi omnia uera dicendi captus est. re uera, male periclitatus est ne a dracone incantaretur. animo autem a pauore recepto, rursus locutus est.

“omnia non scis, O Smaug Magne,” inquit. “non aureum solum nos huc tulit.”

“ha! ha! ‘nos’ confiteris,” Smaug risit. “quare non dicis ‘nos quattuordecim’ ut rem perficias, Domine Numere Fortunate? mihi placet audire te officia altera in his regionibus praeter aurum meum habuisse. ergo, forsitan, tempus tuum non omnino perdas.

“nescio si tibi occureret te, etiamsi aurum minutatim furari posses – quae res circa centum annos occupabit – id iampridem ferre non posse? in latere montis non multum usui est? in silua non multum usui est? pro fidem! quid de uectura? quid de custodibus armatis atque uectigale?” et Smaug magna uoce risit. ei fuit cor malum atque callidum, et sciuit coniecturas suas non longe abesse, quamquam

suspicatus est Homines-Lacus consilia praestare, quos in animo habere ut maximam partem spoliae in oppido iuxta litus, quod in diebus eius iunioribus Esgaroth appellatum est, remaneat.

huic uix credes, sed Bilbo quidem ualde admiratus est. usque ad hoc tempus omnes sententias atque uires in Montem attingendum atque thesaurum inueniendum intenderat. numquam sollicitus erat mirari quomodo thesaurus auferretur, numquam certe quomodo aliqua pars, quae sors eius esset, usque ad Bag-Finem, Sub-Colle referretur.

nunc suspicio foeda in mente eius crescere coepit – suntne nani etiam huius rei magni momenti obliti, aut ridebantne eum in manicis suis per omne tempus? hic est modus in quo sermo draconis aliquem imperitum afficit. Bilbonem sane uigilantem fuisse oportuit; sed Smaug ingenium, cui uix resisti poterat, habuit.

“tibi dico,” inquit ille nitens ut et amicis suis fidelis maneat et ipse fortis remaneat, “illum aurum modo nobiscum posterior cogitatio fuit. supra collem atque subter collem, ab unda atque uento uenimus, pro *Poena*. nonne, O Smaug diuitiarum inaestimabilium, tibi intellegendum est te, ob prosperitatem tuam, habere aliquos inimicos acerbos?”

tum Smaug sane risit – sonitus uastitudinis, qui Bilbonem ad solum quassauit, dum longe aduersus cuniculum nani se congregant et fingunt hobbitum ad finem

repentem atrocemque aduenisse.

“poena!” fremuit, et lux oculorum aulam a solo ad tectum illuminauit quasi fulgur coccinum. “poena! Rex sub Monte mortuus est et ubi sunt cognati eius qui poenas expetere audent? Girion Dominus Conuallis mortuus est, et gentem suam sicut lupus inter oues edi, et ubi sunt filii filiorum eius, qui ad me appropinquare audent? aliquos interficio ubicumque uolo neque aliqui resistere audent. bellatores dierum antiquorum cecidi, similitudo quorum in orbe hodie non est. tum modo iuuenis atque tener fui. nunc senex atque fortis, fortis, fortis sum, Fur in Umbris!” superbiter inquit. “arma mea sunt scutis decemplicibus similia, dentes mei sunt enses, ungues mei hastas, impetus caudae meae tonitrus, alae meae turbo procellae, et spiritus mors!”

“semper intellexi,” Bilbo pauore stridens inquit, “dracones esse teneriores infra, praecipue in regione – er – thoracis; sed sine dubio quidam adeo armatus de ea re iam cogitauit.”

draco gloriari destitit. “scientia tua est obsoleta,” acerbe respondit. “squamis ferreis atque gemmis duris supra atque infra sum armatus. nulla lamina me transfigere potest.”

“id coniecerim,” Bilbo inquit. “re uera nullo in loco par Domino Smaugi Impenetrabili inueniri potest. quam magnificum est te subuculam adamantum pulchrorum possidere!”

“ita, quae rara quidem atque admirabilis est,” Smaug inquit, admodum gratus. nesciuit hobbitum iam tegimentum eius praecipuum infra aspexisse, cum prius uenerat, et eum ualde desiderare, propriarum rationum causa, ut propius id aspiceret. draco se euoluit, “uide!” inquit. “quid de eo dicis?”

“splendidum, mirabile! perfectum! emendatum! admirandum!” Bilbo magna uoce exclamauit, sed intra se cogitauit ita: “stulte senex! nam est magna pars in concauo pectoris eius sinistri tam nuda quam cochlea e concha remota!”

postquam id aspexit, solum in animo habuit Dominus Baggins effugere. “itaque, Magnificentiam Tuam longius tenere me non oportet,” inquit, “aut te prohibere a requiete tua ualde desiderata. magnum est capere mannos, ut credo, post illi quam initium longe fecerunt. non aliter quam effractarios!” adiecit sicut ictus modo Parthico dum retrorsum ruit et aduersus cuniculum effugit.

fuit sententia infelix, nam draco flammas terrificas in eum eiaculatus est, et quamquam ille in aduersum properabat, nequaquam satis longe progressus est ut commodus esset antequam caput horribile Smaugis in aperturam pone pulsum est. feliciter, totum caput atque fauces eius intus comprimi non poterunt, sed nares eius ignem et uaporum emiserunt ad illum persequendum, qui paene superatus labens caecus magno dolore atque pauore progressus est. senserat se a calliditate sermonis cum

Smauge satis gratum esse, sed error eius eum in prudentiam meliorem quassauit.

"numquam dracones uiuos ride, Bilbo stulte!" secum dixit, quae posterius facta est sententia eius dilecta, et in prouerbium tradita est. "tu nunc uix per hoc facinus audax transisti," adiecit, quae etiam satis uera fuit.

---

post meridie in uesperem tendebat cum ille rursus euenit et confectus in "limine" lapsus est et decidit. nani eum recreauerunt et adusta eius sanauerunt quam maxime potuerunt; sed longe fuit antequam capilli in tergo capitis atque calcium recte rursus creuerunt: omnes usque ad pellem adusti et crispati erant. interim amici animum eius erigere optime conati sunt; et fabulae eius cupidi fuerunt, praecipue quamobrem draco tam horrifice strepuisset, et quomodo Bilbo effugisset, scire cupiuerunt.

sed hobbitus sollicitus fuit atque incommodus, et aliquid ex eo elicitare illis negotium magnum fuit. de rebus cogitans, nunc eum paenitebat aliqua uerba, quae draconi dixerat, neque illa iterare cupidus fuit. senex turdus in saxo uicino sedebat, capite ad latus unum uerso, omnia, quae dicta erant, auscultans. iracundia Bilbonis patefacta est ab hac re: saxum sublatum iecit in turdum, qui solum ad latus uolitauit tum reuenit.

"aui maledic!" Bilbo iratus inquit. "credo eum auscultare, neque facies eius mihi placet."

"noli eum uexare!" Thorinus inquit. "turdi sunt boni

atque amici – haec est ueterrima quidem auis, et forsitan est ultima quae superest generis antiqui quod olim in his regionibus habitabat, manibus patris mei et aui mansuetum. fuit gens aetate longa atque magica, et forsitan hic sit unus illorum qui illo tempore, duobus centum annis aut magis abhinc, uixerunt. Homines Conuallis ingenium intellegendi linguam illorum habuerunt, et illis usi sunt pro nuntiis, qui ad Homines Lacus et aliquos locos uolarent."

"itaque, nuntium habebit, quod sane ad Oppidum-Lacus ferat, si id est quod uult," Bilbo inquit, "quamquam non puto aliquos superesse, qui de lingua turdorum curant".

"cur quid actum est?" nani clamauerunt. "perge fabulam tuam, quaesimus!"

itaque Bilbo illis narrauit omnia, quae meminisse potuit, et confessus est se male suspicari draconem ab aenigmatibus eius castris atque mannis adiectis nimis coniecisse. "certus sum eum scire nos ab Oppido-Lacus uenisse et ab illo loco auxilium habuisse; et male suspicor eum forsitan in illam partem proxime iturum esse. pro fidem uolo se numquam dixisse illud de Cupaerectore; quod effecerit ut etiam cuniculus caecus in his regionibus de Hominibus-Lacus cogitaret."

"esto, esto! fieri non potest aliter, et magnum est in loquendo cum dracone non errare, ita semper audiui," Balinus inquit sollicitus ut eum consolaretur. "puto te rem bene gessisse, si me roges – saltem unam rem utilissimam inuenisti, et domum uenisti uiuus, quae sunt plura quam

plurimi dicere possunt, qui cum talibus quale Smauge locuti sunt. forsitan scire de parte nuda in subucula adamantina Vermis senis etiam erit res felix atque benedicta."

his dictis, sermo mutatus est, et omnes de draconibus interficiendis praeteritis, dubiis, et fabulosis loqui coeperunt, et de generibus diuersis punctionum et plagarum et uulnerum infra, atque dissimilibus artibus, instrumentis et dolis a quibus illae res confectae erant. plerique omnes consenserunt ut draco dormiens non tam facile capi possit quam putauerant, et si quemdam dormientem fodire aut pungere conentur, magis ueri simile sit rem in calamitate perfecturam esse, quam si impetum in frontem audacter faciant. dum loquebantur turdus auscultabat, donec postremo cum stellae elucere coeperunt, tacitus alis diffusis euolauit. et dum loquebantur Bilbo miserior atque miserior fiebat, et praesagium mentis eius crescebat.

postremo eos interrupit. "certus sum nos ualde intuti esse hic," inquit, "neque rationem sedendi hic uideo. draco omnia uiridia amoena adussit, et porro nox adest et frigida est. sed in ossibus meis sentio fore ut hic locus iterum oppugnetur. nunc Smaug cognoscit quomodo ad aulam eius descenderim, et ei confidere potes ut coniciat in quo loco sit terminus cuniculi alius. latus omne Montis minutatim franget, si necesse est, ad aditum nostrum obsaepiendum, et si nos cum eo confracti erimus, id ei

melius placebit."

"tu maestissimus es, Domine Baggins!" Thorinus inquit. "quamobrem ergo Smaug terminum inferiorem non obsaepsit, si nos excludendi tam cupidus est? id non fecit, aut eum audiuerimus."

"nescio, nescio – quia primum ille temptare uoluit ut me iterum induceret, ut puto, et nunc fortasse quia donec post uenationem huius noctis manet, aut quia cubiculum suum laedere non uult, si rem aliter facere potest – sed utinam tu non disputes. Smaug protinus egredietur, et spes sola nobis est nos longe in cuniculum inituros et ianuam clausuros esse."

adeo intentus esse uisus est ut nani demum morem ei gererent, quamquam in ianuam claudendo moram fecerunt – quod consilium desperatum esse uisum est, nam nemo sciuit an aut quomodo eam ab interiore rursus aperire possent, et cogitatio de ipsis inclusis in loco, e quo egressus solus per latibulum draconis tetendit, non illis placuit. porro omnia satis tacita esse uisa sunt, et foris et secundum cuniculum. itaque diutius intus non longe deorsum a ianua semi-aperta sedentes loquebantur.

sermo mutatus est ad uerba draconis mala de nanis. Bilbo cupiuit se numquam illa audiuisse, aut saltem se certissimum esse posse nanos nunc omnino esse ueros cum negarent ipsos umquam cogitauisse de quo acturum esset postquam thesaurum capturum esset. "sciuimus rem futuram esse desperatam," Thorinus inquit, "et adhuc id

scimus; et adhuc puto tempus satis adfuturum esse, cum id ceperimus, in quo cogitemus quid de eo acturum sit. de parte tua, Domine Baggins, crede mihi nos esse magis quam gratos et te quartam decimam tuam electurum esse, quam primum aliquid habebimus, quod diuidere poterimus. me paenitet si tu de rebus transportandis sollicitatur, et confiteor difficultates esse magnas – dum tempus fugit, terrae minus ferae non factae sunt, potius uice uersa – sed pro te faciemus quidcumque possumus, et nostram partem pretii capiemus cum tempus adfuerit. crede mihi aut non, sicut tibi placet!"

his dictis, sermo mutatus est ad magnum aceruum ipsum atque ad illa quae Thorinus et Balinus meminerunt. admirati sunt num illa etiam ibi in aula infra iacerent illaesa: hastae, quae pro exercitibus magni Rex Bladorthini (iampridem mortui) factae sunt, quaeque caput ter-fabricatum habuit, hastilibus quarum aurum callidum insertum erat, sed numquam missae nec persolutae sunt; scuta pro bellatoribus longe mortuis facta; magna pocula aurea Throris, ansis duabus, malleata atque caelata cum auibus et floribus, oculi et folia quorum a gemmis facti sunt; loricae auratae atque argentati atque impenetrabiles; torques Girionis, Domini Conuallis, a quinque centum smaragdis tam uiridibus quam graminibus factus est, quem ille dedit pro filio natu maiore armato in lorica anulorum a nanis nexorum, similitudo cuius numquam facta erat ante, nam ab argento mero ad uim atque fortitudinem chalybis-

triplicis confecta est. pulcherrima autem omnium fuit ingens gemma alba, quam nani sub radicibus montis inuenerant, scilicet Cor Montis, Arkenlapis Thraini.

“ille Arkenlapis! ille Arkenlapis!” Thorinus in tenebris murmurabat, semi-somnians cum mento suo in genibus. “fuit quasi globus cum mille superficiebus; nituit quasi argentum in luce ignis, quasi aqua in sole, quasi nix subter stellas, quasi pluuia in lunam!”

sed desiderium acerui incantatum a Bilbone deciderat. qui per omnem sermonem eis solum semi-auscultabat. ianuae proximus sedit cum alia aure erecta ad inceptionem aliquam sonitus foris audiendam, alia intenta ad imagines ultra murmures nanorum, ad susurrum aliquem motus cuiusdam a longe infra.

tenebrae profundiores fiebant et ille semper sollicitior fiebat. “ianuam claudite!” eos orauit, “istum draconem in medulla mea uereor. hoc silentium mihi placet longe minus quam clamor noctis prioris. ianuam claudite antequam res sera fuerit!”

nescio quid in uoce eius sensum incommodum nanis dedit. Thorinus somniis lente excussis surrexit et saxum, quod eam cuneabat, e ianua calcitrauit. tum eam impulerunt, quae crepitu atque clangore clausa est. signum claustelli nullum in interiore superfuit. in Monte inclusi sunt!

neque praematurius. uix longe secundum cuniculum descenderant, cum uerber quasi fragor arietum e quercibus

siluestribus factorum atque a gigantibus tractatorum latus Montis feriuit. saxum resonauit, muri fracti sunt et lapides a tecto in capita eorum deciderunt. non mihi placet cogitare quid, si ianua adhuc aperta sit, eueniret. longius secundum cuniculum effugerunt, gaudentes se etiam uiuos esse, dum pone eos foris fremitum atque quassationem irae Smaugis audiunt. qui saxa comminuebat, murum atque scopulum uerberibus caudae ingentis frangebat, donec locus paruus altusque castrorum eorum, gramina tosta, saxum turdi, muri a cochleis uelati, proiectum saxi angustum, omnibus confractis, temere euanuerunt, et casus saxorum confractorum de scopulo in uallem infra decidit.

Smaug latibulum suum in silentio furtiuo reliquerat, tacitus in caelum euolauerat, tum ponderosus atque lentus sicut cornix monstruosa in tenebris innatauerat, secundo uento ad occidentem Montis, sperans se aliquid aut aliquem inscium ibi capturum, et exitum meatus, quo fur usus erat, aspecturum esse. cum et nihil inuenire et neminem uidere posset, etiam in loco, in quo coniecerat certe exitum esse oportere, haec fuit effusio irae suae.

ira in hoc modo emissa, sensit se meliorem esse et in corde putauit se non rursus ab illa parte uexari. interim ultionem ulteriorem petiuit. “Cupae-rector!” fremuit. “pedes tui a latere aquae uenerunt, et non dubium est quin tu aduersum aquam ueneris. odorem tuum nescio, sed si tu unus hominum Lacus non sis, illi tibi subsidio fuerunt. qui me uidebunt et recordabuntur quis sit uerus Rex sub

Monte!”

in igne ascendit et in meridiem ad Flumen Fluens discessit.

CAPVT TERTIVM DECIMVM

NON DOMI

interim, nani in tenebris sedebant, circum quos silentium totum decidit. pauca ederunt atque pauca locuti sunt. tempus praeteriens numerare non potuerunt; et uix mouere ausi sunt, nam uoces eorum susurrantes in cuniculo resonabant atque crepitabant. si obdormiuerunt, etiam e somno ad tenebras atque silentium, quod continuatum continuabatur, excitati sunt. postremo, postquam per dies atque dies manserunt, ut uisum est, aere deficiente suffocarentur et stupefierent, id non iam pati potuerunt. paene in sonitibus ab inferiore draconis redeuntis gauisi sint. a quo in silentio nescio quid mali callidi timuerunt, sed ibi sedere per aeternum non potuerunt.

Thorinus dixit: “ianuam conemur!” inquit. “aut uentum in facie mea mox mihi sentiendum est aut moriendum. puto me malle a Smauge sub diuo confringi quam in hoc loco suffocari!” itaque nonnulli nani surrexerunt atque

pedetemptim ad locum, in quo ianua fuerat, redierunt. inuenerunt autem superiorem partem cuniculi saxis fractis confractam atque obsaeptam esse. nec clauis nec magia, quibus illa olim paruerat, illam ianuam rursus aperire umquam potuit.

"inclusi sumus!" gemuerunt. "hoc est finis. hic moriemur."

sed nescio quomodo, cum maxime nani desperatissimi erant, Bilbo sensit cor suum in modo insueto leuari, quasi pondus graue ab infra subuculam discessisset.

"uenite, uenite!" inquit. "'dum anima est, spes est!' ut pater meus dicere solebat, porro 'tempus tertium omnia soluit.' ego secundum cuniculum rursus *deorsum* ibo. quo bis ii, cum sciui draconem alio in fine esse, itaque tertium periclitabor ire cum non iam certus sum. praeterea, exitus solus est deorsum. et puto hoc tempore uos omnes mecum uenire oportere."

desperati, ei consenserunt, et Thorinus fuit primus qui iuxta Bilbonem perrexit.

"nunc cauete!" hobbitus sibilauit, "et tacite quam maxime potestis! aut non adsit in imo Smaug, aut uice uersa adsit. nos non sine causa periclitemur!"

deorsum, deorsum descenderunt. de furto uero nani, sane, hobbito non pares esse potuerunt, quorum sonitus ualde anhelantium atque laboriose gradientium ab imaginibus in modo terrifico increscebantur; sed, quamquam aliquando Bilbo pauidus constitit atque

auscultauit, ab infra nullus sonitus commouebatur. ad imum, quam maxime rem discernere potuit, Bilbo anulo induto progressus est. qui tamen ei non usui fuit: tenebrae fuerunt totae, et omnes inuisibiles fuerunt, anulo aut nullo. re uera, id adeo nigrum fuit ut hobbitus ad aperturam inopinanter adueniret, manu sublata, porro laberetur et in praeceps in aulam uolueretur!

ibi cum uultu ad solum uerso procubuit neque surgere nec uix etiam spirare ausus est. nihil autem se mouit. non fuit aliqua lux nitens – nisi, ut res ei uisa est, cum demum ille caput lente sustulisset, fuit scintilla pallida alba supra eum quae in caligine longe afuit. certe autem non fuit scintilla ignis-draconis, quamquam foetor-uerminosus in hoc loco fuit densus, atque gustus uaporis in lingua eius fuit.

postremo Dominus Baggins illam rem non iam pati potuit. "te confunde, Smaug, uermis te!" magna uoce stridit. "desine ludere *lusum latitandi! lucem mihi da, et tum me ede, si me capere potes!"

imagines hebetes circum aulam, sed responsum nullum fuit.

Bilbo surrexit et cognouit se nescire qua tenderet.

"nunc quid in orbe Smaug ludat admiror," inquit. "qui non domi est hodie (uel hac nocte, uel quandocumque hoc est), ut credo. si Oinus atque Gloinus igniaria sua non amiserunt, fortasse paulum lucis faciemus, itaque circumspectabimus antequam fortuna mutata erit."

“lux!” clamauit. “aliquisne lucem facere potest?”

---

cum Bilbo de gradibus cum offensione in aulam porro decidisset, nani, sane, trepidissimi fuerunt, et conglobati sederunt eodem in loco ad finem cuniculi in quo ille eos reliquerat.

cum uocem eius audissent, “sh! sh!” sibilauerunt; et quamquam illa res hobbito auxilio fuit ad inueniendum ubi essent, nihilominus aliquid ex eis elicere diu non potuit. sed in fine, cum Bilbo uerum solum pede pulsare coepisset, et “lux!” magna uoce stridula clamauisset, Thorinus ad eum inclinauit, et Oinum atque Gloinum ad sarcinas suas in summo cuniculo remisit.

paulo post, scintilla fulgens illos, qui redibant, patefecit, Oinus cum parua face pini flagrante in manu, et Gloinus cum fasce aliarum sub bracchio. cito Bilbo ad ianuam properauit et facem cepit; sed nanis persuadere ut ceteras inflammarent uel etiamnunc cum eo uenirent non potuit. ut Thorinus diligenter rem explicauit, Dominus Baggins etiam iure fuit effractarius doctus atque inuestigator. si ei placuit ut lucem periclitaretur, id suum fuit. ipsi in cuniculo mansuri sunt ad nuntium eius recipiendum. itaque iuxta ianuam sedebant atque aspiciebant.

formam paruam atram hobbiti, luce paruula eius sublata, trans solum ambulantem uiderunt. subinde, dum adhuc satis prope est, quoddam fulgens et tinniens receperunt, ut

ille inopinanter in nescio quid aureum incidit. dum in aulam praegrandem longe errat, lux decrescebat; quae saliens tum in aerem ascendebat. Bilbo magnum aceruum thesauri scandebat. mox in summa stetit, et etiam perrexit. tum uiderunt eum parumper consistere atque se demittere; sed rationem nesciuerunt.

fuit Arkenlapis, Cor Montis. ita Bilbo a descriptione Thorini coniecit; sed duae quidem talium gemmarum esse non potuerunt, etiam in tale aceruo mirabili, etiam in orbe terrarum omni. semper dum ascendit, idem coruscans candidum ante eum fulgurabat et ad ipsum pedes eius ducebat. in globum paruum lucis pallidae lente crescebat. nunc, ut illum appropinquabat, ille scintilla tremula colorum multorum, qui repercussi atque confracti a luce facis eius quassata, in summo tingebatur. postremo illum despexit, et animam continuit. magna gemma ante pedes eius luce sua interiore fulgebat, et nihilominus, caesa et fabricata a nanis, qui eam e corde montis multo ante effoderant, omnem lucem, quae in eam decidit, cepit atque in decem milia scintillas nitoris albi tincti cum fulgoribus iridis mutauit.

repente bracchium Bilbonis ad eam tetendit, ab incantamento eius ductum. manus parua circum eam claudi non potuit, nam gemma fuit magna atque grauis; sed eam sustulit, et, oculis clausis, eam in sinum altissimum posuit.

“nunc ego quidem effractarius!” ille cogitauit. “sed puto me de ea nanis narrare oportere – nescio quo tempore.

dixerunt me posse partem meam carpere atque eligere; et credo me eam electurum esse, si illi omnia cetera ceperint!” ceteris paribus nihilominus, moleste sensit illos non in animo habuisse eum hanc gemmam mirabilem carpere atque eligere oportere, et molestiam ex ea re etiam exorturam esse.

nunc rursus perrexit. de latere altero ingentis acerui, quem scanderat, descendit, et scintilla facis eius ex aspectu nanorum uigilantium euanuit. mox autem eam procul iterum uiderun t. Bilbo solum aulae transibat.

perrexit, donec ad magnas fores in parte ulteriore aduenit, et ibi aura quaedam eum reuixit, quae paene lucem eius exstinxit. ille timide per eas aspexit, et aspectum meatuum ingentorum et gradus hebetes incipientes ascendere in caliginem uidit. adhuc fuit nec aspectus nec sonitus Smaugis. se uersurus et rediturus, cum quaedam forma nigra in eum insiluit atque faciem eius uerrit. stridit atque tremuit, et retro lapsus decidit. fax eius capite prono cecidit et exstincta est!

“solum uespertilio, ut puto et spero!” miser inquit. “sed nunc quid agam? qua est Oriens, Meridies, Septentriones, uel Occidens?”

“Thorine! Baline! Oine! Gloine! Kili! Fili!” clamauit quam maxime potuit – qui sonitus esse exiguus et paruus in tenebris latis uisus est. “lux exstincta est! utinam aliquis ueniat ut me inueniat atque iuuet!” uirtus per hoc momentum temporis omnino defecerat.

nani clamores eius hebetes paruosque audiuerunt, quamquam uerbum solum, quod capere potuerunt, fuit “iuuet!”

“nunc quid in orbe terrarum uel sub eo accidit?” Thorinus inquit. “certe non draco, nam ille stridere non pergebat.”

per momentum uel duo manserunt, fuerunt autem sonitusdraconis nulli, re uera, nullus sonitus praeter uocem Bilbonis, quae procul afuit. “ueni, unus quidam, alteram lucem aut duas fer!” Thorinus iussit. “nobis, ut uidetur, opus est ire ad effractarium nostrum iuuandum.”

“nunc est officium nostrum ut eum iuuemus,” Balinus inquit, “et ego libenti animo ibo. praeterea exspecto nos paulisper esse tutos.”

nonnullis facibus pluribus a Gloino accensis, omnes singillatim erepserunt et secundum murum quam celerrime ierunt. mox Bilboni ipsi ad eos redeunti obuiam ierunt. ingenium cuius cito restitutum est quam primum luces eorum fulgentes uidit.

“solum uespertilio et fax demissa, nihil peius!” quaerentibus respondit. qui ualde leuati sunt, nihilominus se ad stomachandum inclinabant quod de nihilo timuerant; sed quae dixerint si ille eis de Arkenlapide illo momento narrauerit nescio. aspectus thesauri fugaces, quos progredientes ceperant, ignem in cordibus nanorum omnino refouerant; et cum cor nani, honestissimi etiam, ab auro atque gemmis excitatur, hic audax subito fit, et

fortasse ferox fiat.

nanis quidem urgeri non iam opus fuit. nunc omnes aulam explorandi cupidi fuerunt, dum occasionem habent, et Smaugem a domo abesse, in praesentia, credere uolebant. quisque nunc facem accensam prehendit; et aspicientes primum ad alium latus tum ad alium, metus atque cautionis quidem obliti sunt. magnis uocibus locuti sunt, alius ad alium exclamans, ut thesauros antiquos ex aceruo uel a muro sublatos in luce tenebant, eos mulcentes atque tractantes.

Filius atque Kilius paene iocosi fuerunt, qui fides multas aureasque argenteis neruis intentas inuenerant, quas ceperunt et percusserunt; quae, quod magicae (et intactae quoque a dracone, qui musicae minime interfuit), fuerunt adhuc modulatae. aula atra plena fuit canoris cuiusdam, qui perdiu tacitus fuerat. plurimi autem nani usu magis calluerunt: cum gemmis collectis sinus suos impleuerunt, et suspirantes illas, quas ferre non potuerunt, per digitos suos delabi siuerunt. Thorinus inter eos non minimus fuit; sed semper hinc atque illinc aliquid quaerebat, quod inuenire nequit. fuit Arkenlapis; sed de quo iam nemini dixit.

nunc nani loricis et armis de muris demptis se armauerunt. regiae quidem dignus fuit Thorinus, in lorica anulis aureis inductis uestitus, cum secure, manubrio argenteo, in balteo lapidibus coccinis incrustato.

qui “Domine Baggins!” clamauit. “haec est praemii tui

prima pensio! tunicam ueterem exue et hanc indue!"

his dictis, loricam paruam Bilboni induit, pro nescio quo regulo-dryadum iuueni multo ante factam. fuit a chalybeargenteo facta, qui *mitril* a dryadibus appellatur, et cum ea fuit balteus margaritis crystallisque. galea leuis, e corio figurato circulis chalybeiis firmato facta, et gemmis albis circum labrum distincta, in caput hobbiti posita est.

qui, "sentio me magnificum esse," cogitauit, "sed exspecto me satis absurdum uideri. quam in Colle domi rideant! utinam quidem speculum adsit!"

nihilominus Dominus Baggins magis quam nani caput suum ab incantamento acerui uacuum seruauit. qui, longe ante nani scrutando thesauros fessi fuerunt, ab eis fatigatus solo consedit; et quid finem omnium esset trepide admirari coepit. "plurimas popularum istarum permutem," cogitauit, "pro potione aliqui iucundi e quadam patera lignea Beornis!"

"Thorine!" magna uoce clamauit."quid postea? armati sumus, sed quid ante profuerunt arma ulla contra Smaugem Terribilem? hic thesaurus non iam relatus est. aurum non iam quaerimus, sed uiam ad effugiendum; et fortunam diutius temptauimus!"

"uera dicis!" Thorinus, mente recepta, respondit, "abeamus! uos ducam. non per mille annos uiarum huius regiae obliuiscar." tum ceteris uocatis atque conglobatis, facibus supra capita sublatis, per fores hiantes transierunt,

sed saepe cum desiderio respicientes.

loricis nitentibus a palliis suis iterum tectis et galeis candidis a cucullis pannosis, singillatim post Thorinum progressi sunt, linea quaedam lucum paruarum in tenebris, quae saepe constitit, iterum pauida rumorem aliquem draconis aduenientis auscultans.

omnibus ornamentis ueteribus multo ante aut dilapsis aut deletis, et omnibus rebus a belua aduenienti reuenientique et foedatis et uastatis, nihilominus Thorinus omnen meatum atque uersuram sciuit. scalas longas ascenderunt, et secundum uias latas resonasque se uerterunt atque ierunt, et rursus se uerterunt et etiam plures scalas ascenderunt, et etiam plures scalas praeterea. quae fuerunt planae, e saxo uiuo excisae latae atque amoenae; et sursum et sursum nani ierunt, signo nullo cuiusdam animalis uiui obuiam ierunt, solum umbris furtiuis, quae a facibus eorum, qui appropinquabant, in auris uolitantibus effugerunt.

gradus, nihilominus, pro cruribus-hobbitis non facti sunt, et Bilbo modo sentiebat se non ulterius progressurum esse, cum repente tectum in altum et longe ultra extensionem lucis facum eorum exsiluit. quidam fulgor candidus per nescio quam aperturam longe supra perueniens uideri potuit, et aer dulcius olebat. ante eos lux hebes per magnas fores, quae tortae in cardinibus pendebant et semi-ustae, uenit.

“hoc est magnum conclaue Throris,” Thorinus inquit;

“aula conuiuiorum atque consiliorum. nunc Porta Antica non longe abest.”

per conclaue transierunt. hinc mensae putrescebant; illinc sellae et subsellia euersa iacebant, ambusta et dilapsa. in solo fuerunt caluariae atque ossa inter lagonas et pateras et fracta cornua-potionis et puluem. dum per plures fores etiam in ulteriore transeunt, sonitus aquae in aures eorum cecidit, et lux fusca repente clarior crescit.

“ibi est ortus Fluminis Fluentis,” Thorinus inquit. “quod ab hoc loco ad Portam properat. id sequamur!”

aqua feruida, ex apertura atra in muro saxi emissa, efferuescens in canale angusto, qui a calliditate manuum antiquarum sculptus et rectus erat, fluebat. iuxta eum uia lapidibus strata tendebat, satis latitudinis ut multi latera tegentes ambulare poterant. secundum illam celeriter cucurrerunt, tum circum quamdam uersuram ad latus tendentem se uerterunt – et ecce! ante eos lux lata diei patefacta est. in fronte arcus altus ascendit, qui etiamnunc fragmenta operarum sculptarum intus patefaciebat, etiamsi contritus atque confractus atque nigratus est. sol nebulosus lucem pallidam inter bracchia Montis misit, et radii aurei in pauimentum prope limen decidit.

uespertiliones turbantes, e somno a facibus fumantibus territi, super eos uolitabant; ut prorsum saluerunt, pedes in lapidibus leuigatis atque lubricatis a dracone praetereunti elapsi sunt. nunc ante eos aqua magno clamore excidit et spumans ad uallem decidit. facibus ad solum deiectis,

despicientes cum oculis perstrinctis steterunt. ad Portam Anticam peruenerunt, et in Conuallem despiciebant.

“euge!” Bilbo inquit. “numquam exspectaui me *ex* hac ianua aspecturum esse. et numquam exspectaui me tam gratum fore pro aspectu solis rursus, et sensu uentis in facie mea. sed heu! hic uentus est frigidus!”

ita fuit. flatus acerbus orientalis, hieme imminente, flabat. qui super et circum bracchia Montis in uallem fluctuabat, et inter saxa suspirabat. postquam diu in imis sudantibus cauernis a dracone frequentatis remanserunt, in sole horruerunt.

subito Bilbo intellexit se non modo fessum esse sed etiam ualde esurientem quidem.“tempus tardus in mane esse uidetur,” inquit, “et puto magis minusue tempus ientaculi esse – si ientaculum ullum haberi potest. sed non sentio limen anticum Smaugis esse locum tutissimum ad cenandum. quaeso, nos discedamus ad aliquem locum in quo quiescentes aliquamdiu sedere possumus!”

“rectissime!” Balinus inquit. “et puto me scire qua nos oportere ire: nos oportet tendere ad speculam ueterem in angulo inter occasum solis et meridiem Montis.”

“quousque est illa?” hobbitus rogauit.

“iter quinque horarum, ut puto. quod dure ibitur. uia a Porta secundum marginem sinistrum fluuii omnino frangi uidetur. sed deorsum aspicite! flumen repente ad orientem trans Conuallem in fronte oppidi ruinosi circumagitur. quo loco olim fuit pons, tendens ad scalas praecipites, quae

ripam dexteram ascenderunt, itaque ad uiam quae ad Coruicollem tetendit. est (uel erat) semita quae e uia discessit atque ad speculam ascenderunt. ascensus durus, praeterea, etiamsi scalae ueterae adhuc adsunt."

"me miserum!" hobbitus fremuit. "plus ambulandi et plus ascendendi sine ientaculo! admiror quanta ientacula, et cenas alteras, nos in isto foedo foramine sine tempore aut horologiis amiserimus?"

re uera, duae noctes atque dies in medio (non omnino sine cibo) praeterierant cum draco ianuam magicam confregisset, sed Bilbo nequaquam eas numerauerat, ut fortasse una nox praeterisset aut hebdomas noctium, quousque eas enumerare potuit.

"age, age!" Thorinus ridens inquit – cuius animus rursus surgere coeperat, et lapides pretiosos in sinibus quassauit. "noli dicere regiam meam esse foramen foedum! tu mane donec ea purgata atque rursus decorata erit!"

"quae non erunt donec Smaug mortuus erit," miser Bilbo inquit. "interim, ientaculum bonum dabo ad sciendum ubi sit ille? spero illum in summo Monte adesse nos despicientem!"

quae sententia nanos ualde perturbauit, qui constituerunt ut Bilbo et Balinus recti essent.

"nobis ab hoc loco discedendum est," Dorius inquit. "sentio quasi oculi eius tergum capitis mei intueantur."

"est locus frigidus solitarius," Bombur inquit. "fortasse est potio, sed signum nullum cibi uideo. draco quidam in

talibus locis semper esuriens erit."

"uenite! uenite!" ceteri clamauerunt. "semitam Balini sequamur!"

---

fuit uia sub muro saxeo ad dexteram nulla, itaque apud lapides in sinistra ripa fluminis lente progressi sunt, et solitudo atque uastitas mox effecit ut etiam Thorinus rursus fieret grauis. pontem, de quo Balinus dixerat, multo ante ruinosum inuenerunt, plurimi cuius lapides nunc solum saxa teretia in fluuio uadoso atque clamoso fuerunt; sed aquam sine difficultatibus multis uado transierunt, et scalas antiquas inuenerunt et ripam altam ascenderunt. breui itinere progressi, uiam ueterem offenderunt, et mox ad conuallem profundam inter saxa tectam aduenerunt; ibi aliquamdiu requieuerunt et tantum ientaculum ederunt quantum potuerunt, plerumque [*]*cram* atque aquam. (si quid *cram* sit scire uis, modo dicam me nescire compositionem; sed id est biscocto simile, per aeternum conditiuum, putatur esse uictuale, et nequaquam est iucundum, re uera est ualde ieiunum, nisi ad exercendum morsum. factum est a Hominibus-Lacus itineris longi causa.)

postea rursus progressi sunt; et nunc uia ad occidentem tendebat et, flumine relicto, semper magnus umerus iugi-montis ad meridiem uersus appropinquabat. postremo ad semitam collis peruenerunt. quae praeceps atque praerupta ascendit, ut lente graderentur, alius post alium, donec

denique sero post meridie ad summum iugum aduenerunt et solem hiemalem ad Occidentem descendentem uiderunt.

hic locum planum sine muro in tribus lateribus inuenerunt, sed cum facie saxea ad Septentrionem in tergo, in qua apertura quasi ianua fuit. ab illa ianua fuit prospectus latus ad Orientem atque Meridiem atque Occidentem.

“hic,” Balinus inquit, “in diebus antiquis semper uigilias seruare solebamus, et illa ianua in cauernam e saxo excisam tendit, quae hic pro conclaui praesidii facta est. fuerunt nonnulli loci huic similes circum Montem. sed uigilare in diebus prosperitatis nostrae parui habebatur, et uigiles admodum commodi facti sunt, fortasse – aliter de dracone aduenienti maturius admoniti essemus, et res fuissent aliter. nihilominus, hic nunc celati atque tecti aliquamdiu iacere, et uidere neque uideri possumus.”

“quod non prodest, si nos hic aduenientes aspectati sumus,” Dorius inquit, qui semper sursum ad summum Montem intuebatur, sicut Smaugem ibi residentem quasi auem in turre uidere exspectabat.

“id temptandum est nobis,” Thorinus inquit. “ulterius progredi nequimus hodie.”

“huic auscultate!” Bilbo clamauit, et humi se deiecit.

in cauerna saxea satis spatii pro centum hominibus fuerit, et interius fuit cauerna parua, ab exteriore parte frigida ulterius. quae omnino deserta fuit; nec etiam ferae per omnes dies imperii Smaugis ea uti uisae sunt. ibi

impedimenta sua deposuerunt; et aliqui statim se deiecerunt et dormiuerunt, sed ceteri iuxta ianuam exteriorem consederunt et consilia sua disseruerunt. dum loquuntur, semper ad unam rem redierunt: ubi esset Smaug? ad Occidentem aspexerunt et nihil fuit, et ad Orientem nihil, et in Meridie signum draconis fuit nullum, sed plurimae aues collectae fuerunt. quas intuiti sunt et admirati; sed, cum primae stellae frigidae apparuissent, etiam eas non melius intellexerunt.

CAPVT QVARTVM DECIMVM

IGNIS ET AQVA

nunc si uis, sicut nani, nuntium Smaugis audire, tibi iterum redeundum est ad uesperum, in quo ille, ianua confracta, iratus euolauerat, duos dies ante.

plerique homines oppidi lacus Esgarothis domi fuerunt, nam aura frigida ab Oriente atro ueniebat, sed pauci in crepidinibus ambulabant et stellas refulgentes aspectabant, ut se gerere amabant, a partibus planis lacus, quae in caelo apparebantur. ab oppido quorum, Mons Solus plerumque a collibus humilibus ad ultimum lacus tegebatur, per rimam in quibus Flumen Fluens a Septentrionibus descendit. solum uerticem cuius altum in sereno uideri potuerunt, et eum raro aspexerunt, nam ominosus fuit atque uastus etiam in luce matutina. nunc amissus et discessus est, in tenebris deletus.

repente in aspectum rursus coruscauit; fulgor breuis eum tetigit tum periit.

“aspicite!” quidam inquit. “luces rursus! priori nocte uigiles eas orientes atque occidentes a media nocte ad primam lucem uiderunt. aliquid in illo loco agitur.”

“fortasse Rex sub Monte aurum fabricat,” alius inquit.

“diu est cum ad Septentrionem iit. nunc est tempus cantus rursus se probare incipere.”

“quis rex?” alius uoce dura inquit. “ueri simile est ignem praedatorium draconis esse, solum regem sub Monte, quem umquam sciuimus.”

“tu semper res ominosas praedicat!” ceteri inquiunt. “aliquid a diluuiis ad pisces uenenatos. de aliquo iucundo cogita!”

tum repente magna lux in loco humili in collibus apparuit et finis septentrionalis lacus in aurum uertit.“Rex sub Monte!” clamauerunt. “diuitiae eius sunt quasi Sol, argentum eius quasi fons, flumina eius aurea fluunt! flumen aureum a Monte fluit!” exclamauerunt, et ubique fenestrae aperiebantur et pedes festinabant.

fuit rursus ingens commotio atque incitatio. homo autem uocis durae ad Dominum properauit. “draco uenit, aliter stultus sum!” clamauit. “pontes decide! ad arma! ad arma!”

tum tubae subito sonabant, quae secundum oras saxeas resonabant. clamor destitit et gaudium in metum mutauit. itaque draco eos non omnino imparatos inuenit.

qui adeo uelox fuit ut mox illi eum sicut scintillam ignis ad se festinantem et semper ingentiorem atque clariorem

crescentem uidere possent, neque stultissimus dubitauit quin uaticinatio aliquantum fieret falsa. nihilominus, paruum tempus habuerunt. omne uas in oppido aqua impletum est, omnis bellator armatus est, omnis sagitta et tela parata est, et pons ad terram decisus atque deletus est, antequam fremitus Smaugis appropinquantis clarus factus est, et lacus tam ruber quam ignis sub uerberationibus atrocibus alarum eius fluctuauit.

qui inter stridores et ululatus et clamores hominum super eos uenit, ad pontes uerrit et eludebatur! pons afuit, et hostes eius in insula in aqua profunda adfuerunt – adeo profunda et atra et frigida, ut in ea non libidinem haberet. si in eam se mergat, satis uaporis aquae ascendat, qui omnem terram cum nebula per dies nonnullos tegat; sed lacus fortior quam is fuit, qui eum exstinxerit antequam is transire poterit.

fremens super oppidum rursus uerrit. sagittae crebrae exsiluerunt et in squamis atque gemmis eius crepitauerunt et fractae sunt, et hastilia a spiritu eius inflammata in lacum flagrantia atque sibilantia reciderunt. nulli pyroboli chartacei, quos tu umquam animo finxisti, spectaculis illa nocte pares fuerunt. ira draconis ab arcibus sonantibus et tubis stridentibus maxime inflammata est, donec ab illa caecus atque insanus factus est. nemo per multas aetates proelium committere cum illo ausus erat; neque nunc ausi sint quin homo uocis-durae (nomine Vates) adesset, qui hinc et illinc properabat sagittariis plaudens et Dominum

urgens ut ille eos pugnare usque ad sagittam ultimam iuberet.

ignis e faucibus draconis exsiluit. aliquamdiu in sublimi super eos, omnem lacum illuminans, circumuolabat; arbores iuxta oras quasi aes et quasi sanguis umbris salientibus densis nigris ante pedes suos nituerunt. tum per tempestatem sagittarum, in ira sua temerarius, uertendi latera squamosa ad hostes neglegens, solum inflammandi oppidum eorum cupidus, directo deuolabat.

ut descendebat et praeteribat et iterum circumibat, ignis a textis stramento uelatis et ab extremis trabum lignearum exsiliebat, quamquam antequam ille uenit omnia aqua maduerant. iterum centum manus aquam iecerunt quocumque scintilla apparuit. cum uertice draco reuenit. tectum Magnae Domus a cauda eius uerrente confractum decidit. flammae inexstinctae in noctem alte exsiluit. rursus ille deuolabat et rursus, et domus alia et alia combusta est et decidit; etiamnunc nulla sagitta magis quam musca a paludibus aut Smaugem impediuit aut ei nocuit.

---

iam homines in aquam undique insiliebant. feminae et liberi in lintres oneratas in stagno-mercatus colligebantur. arma deiciebantur. maerebant et flebant illi, qui paulo ante cantus ueteres iucunditatis futurae de nanis cecinerant. nunc homines nominibus illorum maledixerunt. Dominus ipse ad magnam lintrem inauratam se uertebat, sperans se

remis abscedere et ipsum seruare posse. mox oppidum omnino desertum et combustum usque ad summum lacum erit.

quae fuit spes draconis. si omnes in lintres ascenderint, res nequaquam ei erit cura. nam uenando illos sibi ludos facere possit, uel illi morentur donec fame enecuerint. illis, qui terram attingere conabantur, se parauerit. mox in animo habuit omnes siluas litoris inflammare et omnem agrum atque pascua torrere. modo in luso temptandi oppidum gaudebat magis quam per annos in aliquo gauisus est.

sed adhuc manus sagittariorum adfuit, qui inter domus flagrantes terram suam tenebant. dux quorum fuit Vates, uocis-durae et speciei-durae, cuius amici eum accusauerant quod diluuios atque pisces uenenatos praedixerat, quamquam eum animo magno et fortique esse existimauerunt. ille ab stirpe Girionis, Domini Conuallis, mulier et puer cuius e ruinis secundo Flumine Fluenti multo ante effugerant, ortus est. nunc sagittas ex ingenti arcu taxeo emittebat donec omnes praeter unam defecerunt. flammae iuxta eum erant. comites eum deserebant. arcum nouissime intendit.

repente e tenebris aliquid ad umerum eius uolitauit. horruit – sed solum fuit senex turdus, qui impauidus iuxta aurem eius insedit et nuntium ei tulit. linguam cuius ille admiratus inuenit se intellegere posse, nam a gente Conuallis fuit.

ille “morare! morare!” ei dixit. “luna oritur. lacunam pectoris sinistri quaere, dum ille super te uolat et se uertit!” et dum Vates admirans subsistit, turdus de rebus gestibus in Monte atque omnibus, quae audiuerat, ei narrauit.

tum Vates neruum-arcus ad aurem tetendit. draco retrorsum se circumagebat, humiliter uolans, et dum aduenit luna, super litus orientale orta, ingentes eius alas colore argenteo illuminauit.

“sagitta!” sagittarius inquit. “sagitta nigra! te nouissimam seruaui. numquam mihi defecisti et semper te recepi. te a patre meo accepi, qui ab antiquis temporibus. si umquam tu e fornacibus regis ueri sub Monte uenit, nunc i et secunda fortuna festina!”

draco rursus deuolauit, humilior quam umquam, et dum se uertit et descendit, uenter eius candidus cum ignibus scintillantibus gemmarum in luna coruscabat – praeter unum locum. magnus arcus sonauit. sagitta nigra directo e neruo festinauit, directe ad lacunam iuxta pectus sinistrum, ubi bracchium apertum est. ibi infixa est et euanuit, hamus, hastile et penna, tam ferociter fuit uolatus. cum stridore, qui homines exsurdauit, arbores cecidit, et lapides fidit, Smaug in sublime exsiluit et, inuersus, ab alto perditus decidit.

plenus in oppidum incidit. dolores eius ultimi id in favillas atque cinera confregerunt. lacus fremens insiluit. ingens uapor exsiluit, candidus in tenebris repentinis sub

luna. fuit quidam sibilus, quaedam scatebra, et tum silentium. quod fuit finis Smaugis et Esgarothis, sed non Vatis.

---

luna crescens altius atque altius ascendit et uentus creuit clarus atque frigidus, qui caliginem albam in columnas curuatas atque nubes festinantes torsit, et eam quasi pannos scissos trans paludes ante Mirksiluam ad Occidentem expulsit. tum lintres multae sparsim in summo lacu tenebrosae uideri potuerunt, et secundo uento, uoces populi Esgarothis et oppidum atque bona deleta et domus ruinosas deplorantis uenerunt. sed re uera multa grata et accepta habuerunt, si de illis cogitauerint, quamquam uix illo tempore de talibus rebus cogitare potuerunt: dodrans saltem populi ex oppido effugerant uiui; siluae quorum et agri et pascua et boues et plurimae lintres etiam fuerunt incolumes; et draco mortuus est. quid significaret non iam intellexerunt.

se in turbas maestas conglobatis in litoribus occidentalibus, in uento frigido horrentibus, primum queruli et irati sunt contra Dominum, qui oppidum tam mature reliquerat, cum nonnullis etiam id defendere uolentibus.

“fortasse caput bonum habeat ad negotium transigendum – praecipue negotium suum,” aliqui murmurauerunt, “sed inutilis est ille cum quidquid grauis accidit!” et uirtus Vatis et ictum eius ultimum fortissimumque laudauerunt.

"si ille non necatus esset!" omnes inquiunt, "rex a nobis factus sit. Vates Draconis-deiector, e stirpe Girionis! heu quod ille amissus est!"

et in medio ipso eorum sermone, nescio quis celsus ex umbris egressus est. qui aqua maduit, capilli longi super faciem eius et umeros madidi pependerunt, et fuit in oculis eius lux ferox.

"Vates non amittitur!" ille clamauit. "ille, hoste interfecto, ab Esgarothe se mersit. Vates sum, e stirpe Girionis; interfector draconis sum!"

"Rex Vates! Rex Vates!" clamauerunt; sed Dominus dentibus horrentibus frensit.

"Girion dominus Conuallis, non rex Esgarothis, fuit," inquit. "in oppido-lacus dominos semper e senibus atque sapientibus elegimus, neque passi sumus nos ab hominibus pugnantibus regnari. redeat 'Rex Vates' ad regnum suum – a uirtute eius Conuallis nunc est liberatus, et nihil reditui eius obstat. quisquis, qui ita uult, cum eo eat, si saxa frigida sub umbra Montis litoribus uiridibus lacus malunt. sapientes hic manebunt in spe oppidum restituendi, et rursus in tempore in pace cuius atque diuitiis gaudendi."

"habeamus Regem Vatem!" homines, qui apud eum adfuerunt, respondentes clamauerunt. "satis senum et illorum, qui pecuniam numerant, habuimus!" et homines, qui ulterius fuerunt, clamorem sustulerunt: "sursum Sagitarrius tollatur, et deorsum Auarus deponatur," donec clamor secundum litus resonabat.

“sum ultimus homo qui Vatem Sagitarrium tenuissime aestimat,” Dominus trepidus inquit (nam Vates nunc prope eum stabat). “qui hac nocte locum clarum apud eos, qui plurima beneficia ciuitati contulerunt, meruit; et cantuum multorum perenniumque dignus est. sed, quamobrem o ciuitates?” – et hic Dominus in pedes surrexit et maxima clarissimaque uoce quidem locutus est – “quamobrem me omnino culpatis? pro qua culpa remotus ero? qui draconem e somno eius excitauerunt, quaesam? qui dona diuitia atque auxilium amplum a nobis ceperunt, et nos duxerunt ut crederemus cantus ueteres fieri posse ueros. qui cordibus nostris mollibus et imaginationibus iucundis indulserunt? quale aurum secundo flumine demiserunt ad nos remunerandos? ignem-draconis et ruinam! a quibus nos postulare remunerationem damni nostri oportet, et uiduis atque orbis auxilium?”

ut uides, Dominus statum suum de nihilo non habuit. cuius uerba effecerunt ut paulisper populus sententiae de rege nouo omnino obliuisceretur, et cogitationes iratas ad Thorinum atque comites eius uerteret. multi uerba ferocia acerbaque passim clamauerunt; et aliqui, qui cantus ueteres maximis uocibus ante cantauerant, nunc eisdem uocibus clamitantes nanos draconem contra se de industria excitasse audiebantur!

“stulti!” Vates inquit. “cur uerba et iram in illos miserandos consumunt? non dubium est quin primi in igne mortui sint, antequam Smaug ad nos uenit.” etiam haec

loquens, in cor suum sententia de thesauro claro Montis sine custode uel possessore iacenti uenit, et repente siluit. de uerbis Domini et Conualle restituta, tintinnabulis aureis impleta, si modo homines inuenire potuerit, cogitauit.

postremo iterum locutus est: “hoc est tempus nec uerborum iratorum, Domine, nec de consiliis grauibus rerum nouarum cogitare. nam laborandum est. ego etiam tibi seruio – quamquam post breue tempus fortasse de uerbis tuis recogitabo et ad Septentrionem cum quibus, qui me sequentur, discedam.”

tum egressus est ad castra ponenda et aegros uulneratosque curandos. Dominus autem frontem ad tergum eius exeuntis contraxit, et humi sedens mansit. multa cogitauit sed pauca dixit, nisi magna uoce homines, qui ignem atque cibum ad eum portarent, flagitauit.

nunc quocumque Vates uenit, sermonem apud populum currentem quasi ignem de ingenti thesauro, quod nunc incustoditum erat, inuenit. homines de remuneratione omnis damni, quam ab illo recepturi, et de diuitiis satis superque, cum quibus res diuites a Meridie empturi, locuti sunt; quae res animos perditos multum erexit. bene fuit, nam nox fuit acerba et miserabilis. tegimenta pro paucis moliri potuerunt (Dominus unum habuit), et cibus fuit exiguus (qui Domino etiam defuit). illa nocte multi a madore et frigido et dolore aegrotabant et postea mortui sunt, qui illaesi ex oppido perdito effugerant; et in diebus sequentibus fuit multum aegritudinis atque ingens esuritio.

interim, Vate ducente, res disposita sunt sicut ille uoluit, quamquam semper in nomine Domini, et operose et ciues et praeparationes ad eos tuendos atque tegendos rexit. probabiliter plurimi in hieme, quae nunc autumnum festinanter sequebatur, mortui esset, si auxilium non adfuit. auxilium autem cito uenit; nam Vates nuntios aduerso flumine ad siluam statim misit, qui auxilium a Rege Dryadum Siluae peterent, et hi nuntii copiam iam iter facientem inuenerant, quamquam nunc fuit dies tertius solum post occisum Smaugem.

Rex-dryadum nuntium a nuntiis suis et auibus, quae gentem eius amauerunt, ceperat, itaque iam multa de rebus gestis sciuit. commotio apud omnia uolitantia, quae in marginibus Vastitatis Draconis habitabant, ualde fuit magna. greges circumuolitantes aerem impleuerunt, et nuntii celeriter uolantes hic et illic trans caelum uolitabant. super margines Siluae fuit sibilans, stridens et pipians. longe trans Mirksiluam nuntius diffusus est: “Smaug mortuus est!” folia crepitabant et aures attonitae erigebantur. ante etiam Rex-dryadum euectus est, nuntius ad occidentem uectus erat usque ad pinetum Montium Nebulosorum; quem Beorn in domo lignea audiuerat, et gobelini in antris suis in consilium ibant.

“uereor ne id sit ultimum quod audiemus de Thorino Scutumquerceo,” rex inquit. “qui rem melius gessisset si hospes meus remansisset. nihilominus, est uentus malus,” addidit, “qui pro nemine bene flat” nam is quoque fabulae

de diuitiis Throris non oblitus est. itaque nuntii Vatis nunc eum iter facientem cum multis hastatis et sagittariis inuenit; et super eum cornices dense congregatae sunt, nam illae putauerunt tale bellum rursus excitari quale in illis partibus per saecula longa non adfuisse.

sed rex, cum preces Vatis accepisset, miserebatur, nam dominus gentis bonae atque amicae fuit; itaque itinere uerso, quod primum directo ad Montem tetenderat, nunc secundo flumine ad Lacum Longum festinauit. nec lintrum nec ratum satis habuit ad copiam portandam, quae pedibus lentius ire coacta est; sed magnam copiam bonorum secunda aqua praemisit. nihilominus dryades pedibus leuibus progrediuntur, ut, quamquam illis in diebus itinera facere per terras dolosas inter Siluam et Lacum non multum solebant, cito progrederentur. quinque dies solum post occisum draconem ad litora peruenerunt et oppidum ruinosum aspexerunt. amantissime exceptae sunt, ut creditum est, et homines et Dominus se parabant pactionem quamlibet de futuro facere pro auxilio Regis-dryadum.

mox consilia ceperunt. cum mulieribus atque liberis, senibus atque inualidis, in tergo mansit Dominus; cum quo fuerunt nonnulli artifices et multae dryades peritae; in arbores caedendo et materiam a Silua demissam colligendo se occupabant. tum multa tuguria iuxta litus contra hiemem appropinquantem erigere coeperunt; et quoque Domino ducente consilia capere coeperunt oppidi

noui, amoenioris et ingentioris designati quam ante, sed non in eodem loco. se ad septentrionem in aduersum litoris remouerunt; nam semper in posterum aquam, in qua draco iacebat, formidauerunt. ille numquam ad lectum aureum rursus rediit, sed tam frigidus quam saxum, tortus in imis uadis extentus est. ibi per saecula, tempestate serena, ingentia illius ossa apud sublicas ruinosas oppidi ueteris uideri potuerunt. pauci autem locum exsecratum transire ausi sunt, nec quisquam aut in aquam horrentem se demergere aut saxa pretiosa, quae de corpore putrescente deciderunt, recipere ausus est.

sed omnes homines armati, qui etiam ualidi fuerunt, et plurima acies Rex-dryadum, se parauerunt ad iter faciendum ad septentrionem ad Montem. itaque undecimo die postquam oppidum ruit, caput copiae portas saxeas in extremo lacus praeteriit et in terras uastas peruenerunt.

CAPVT QVINTVM DECIMVM

NVBES CONGREGANTVR

nunc ad Bilbonem et nanos redeamus. per totam noctem unus uigilabat, sed sole redeunte signum periculi ullum nec audiuerant nec uiderant. aues autem densius semper se congregabant. greges a Meridie uolabant; et cornices, quae etiam circum Montem habitabant, supra circumuolabant atque sine intermissione stridebant.

"aliquid insolitum fit," Thorinus inquit. "tempus errantium autumnalium praeteriit; et hae sunt aues quae semper in terra habitant; sturni adsunt et greges fingillarum; et procul absunt multae aues, quae carnem morticinam edunt, sicut proelium committatur!"

subito Bilbo monstrauit: "ibi est senex turdus rursus!" clamauit. "qui, cum Smaug latus-montis fregisset, effugisse uidetur, sed non puto cochleas item rem effecisse!"

re uera, senex turdus adfuit, et, ut Bilbo monstrabat, ad eos uolauit et in lapide propinquo insedit. tum alis plausis

cecinit; tum caput ad latus unum uertit, quasi auscultans; et iterum cecinit, et iterum auscultauit.

"credo eum aliquid nobis dicere conari," Balinus inquit, "sed sermonem talium auium sequi non possum, nam rapidissimum atque difficillimum est. potesne intellegere illum, Baggins?"

"non optime possum," Bilbo inquit (re uera, omnino nihil intellegere potuit); "sed senex commotissimus esse uidetur."

"utinam ille sit coruus!" Balinus inquit.

"putaui eos tibi non placere! quorum tu, cum ab hac uia ante uenissemus, timidissimus esse uisus est."

"illi fuerunt cornices! et animalia aspectu foeda suspiciosaque, et porro insolentia. nonne nomina turpia, quae ad nos uocabant, audiuisti. corui autem dissimiles sunt. inter quos et gentem Throris olim erat magna amicitia; et saepe nuntios arcanos nobis tulerunt, quos remunerati sumus cum talibus rebus nitidis, quales celare in nidis cupiuerunt.

"multos annos uiuunt, et res diu in memoria retinent, et sapientiam suam liberis tradunt. cum iuuenis-nanus fuissem multos inter coruos saxorum sciui. olim hoc culmen ipsum Coruicollis nominabatur, quia erat par sapiens clarumque, senex Carc et mulier eius, quod hic super conclaue-praesidium habitabat. sed non puto nunc aliquos illius generis antiqui hic morari."

cum primum loqui destitit, turdus magna uoce stridit, et

statim euolauit.

“quamquam nos eum intellegere non possumus, certus sum illam senem auem intellegere nos,” Balinus inquit. “nunc uigilias agitate, ut quod accidet uideamus!”

paulo post, alis plaudentibus turdus reuenit; cum quo senex auis ualde decrepita uenit. caecus fiebat, uix uolare potuit, et summum caput fuit caluum. fuit coruus magna aetate, ingenti magnitudine. rigidus humi ante eos insedit, lente alis plausit, et caput ad Thorinum demisit.

“o Thorine, Thraini fili, et Baline Fundini fili,” crocciit (et Bilbo illa, quae ille dixit, intellegere potuit, nam lingua uulgari non sermone auium utebatur.) “Roäc sum, Carcis filius. Carc mortuus est, sed olim tibi notissimus erat. centum annos et tres et quinquaginta abhinc cum ego ex ouo eueni, sed illorum, quae pater mihi dixit, non obliuiscor. nunc dux magnorum coruorum Montis sum. pauci sumus, sed regem etiam dierum antiquorum meminimus. multa gens mea foris sunt, nam magni nuntii in Meridie sunt – alii sunt gaudia magna nobis, sed non putabitis alios tam bonos esse.

“ecce! aues ad Montem et ad Conuallem a Meridie et Oriente et Occidente rursus congregantur, nam nuntiatum est Smaugem mortuum esse!”

“mortuum! mortuum?” nani clamauerunt. “mortuum! tum sine causa timuimus – et nobis est thesaurus!” omnes exsiluerunt et gaudentes exsultare coeperunt.

“ita, mortuum,” Roäc inquit.“turdus, cuius pennae

numquam decidant, illum mori uidit, et uerbis cuius credere possumus. uidit illum pugnantem cum hominibus Esgarothis decidere tertia nocte abhinc luna oriente.”

aliquamdiu Thorinus nanos nec silere nec audire nuntium corui cogere potuit. tandem, cum omnem fabulam de proelio narrauisset, continuauit:

“itaque de gaudio, Thorine Scutumquerceum. ad aulas redeas tutus: tibi est omnis thesaurus – paulisper. sed multi praeter aues huc congregantur. iam nuntius de custode mortuo longe lateque diffusus est, et fabula de diuitiis Throris non dicendo per multos annos amissa est; multi partis spolii cupidi sunt. iam copia dryadum appropinquat, auibus, quae carnem morticinam edunt, proelium atque caedes sperantibus comitata. iuxta lacum homines murmurant dolores suos a nanis creatos esse; nam sine tectis sunt et multi mortui sunt, et oppidum suum a Smauge deletum est. qui quoque putant se a thesauro uostro remuneraturos esse, utrum uos uiui sint an mortui.

“uia a sapientia tua statuenda est; sed tredecim est exigua pars quae superest magnae gentis Durini, quae olim hic habitabat et nunc longe diffunditur. si consilium meum audies, Domino Hominum-Lacus non credes, sed potius illi, qui arcu draconem deiecit. ille Vates est, gentis Conuallis, e stirpe Girionis; est homo durus sed uerus. utinam pacem inter nanos et homines et dryades post uastitaem longam rursus habeamus; sed res tibi pretii magni in auro sit. dixi.”

tum Thorinus iratus exclamauit: “gratias nostras tibi, Roäc Carcis fili. tu et gens tua non oblitae erunt. sed dum uiuimus nullum aurum nostrum aut fures capient aut saeui auferent. si gratias nostras etiam magis merere uoles, nobis fer nuntium de aliquibus appropinquantibus. porro te obsecram, si qui gentis uestrae etiam iuuenes sint et alis fortibus, ut nuntios ad suos in montibus Septentrionis mittas, et ad occidentem hinc et ad orientem, atque illis de statu nostro dicas. sed praecipue ad consobrinum meum Dainum in Collibus Ferreis i, nam ille multos bene armatos habuit, et proximus ad hunc locum habitat. quem festinare iube!”

“non dicam num hoc consilium sit bonum an malum,” Roäc crocciit, “sed illa quae fieri possunt faciam.” tum lente euolauit.

“nunc ad Montem redeamus!” Thorinus clamauit. nobis est paulum tempus amitti.”

“et paulo tempore uti!” Bilbo clamauit, semper talium rerum prudens. praeterea sensit facinus audax, recte dictu, ab occiso dracone perfectum esse – de qua re ualde errauit – et se plurimam partem suam lucrorum daturum fuisse ut hae res in pace ad finem redigerentur.

“ad Montem redeamus!” nani clamauerunt sicut eum non audiuerint; itaque cum eis ire coactus est.

---

ut iam nonnullas res audiuisti, uidebis nanos etiam nonnullos dies ante eos habere. cauernas iterum

explorauerunt et, ut exspectauerunt, inuenerunt Portam Anticam solum apertam esse; omnes portas ceteras (praeter, sane, ianuam paruam celatam) Smaug multo ante fregerat et obsaepserat, ut nullum signum earum superesset. itaque nunc diligenter laborare coeperunt ad ingressum principem muniendum, et semitam nouam faciendam quae ab eo tetendit. instrumenta multa inuenerunt, quibus fossores et lapidarii et aedificatores olim usi erant; et nani etiam talis laboris peritissimi fuerunt.

dum laborant, corui nuntios frequentes eis tulerunt. in hoc modo didicerunt Regem-dryadum ad Lacum deuertisse, ut etiam aliquando respirare possent. melius etiam, audiuerunt tres mannorum suorum effugisse, qui secundum ripas Fluminis Fluentis feri uagabant, non longe a qua copias reliquas reliquerant. itaque, dum ceteri laborare pergunt, Filium atque Kilium miserunt, qui, coruo ducente, mannos inuenirent et omnia, quae potuerunt, referent.

quattuor dies afuerunt, in quo tempore cognouerunt exercitus iunctos Hominum-lacus et Dryadum ad Montem festinare. nunc autem bene sperauerunt; nam satis cibi, cum cura, hebdomades nonnullas habuerunt – praecipue *cram*, sane, quo defessi fuerunt; sed *cram* multum melius est quam nihilum – et iam portam cum muro saxorum quadratorum, quae sicca sed densissima et altissima trans aperturam deposuerunt, obsaesperunt. foramina in muro

fuerunt, per quae uidere (uel tela emittere) potuerunt, sed ingressus nullus. a scalis ingressi atque egressi sunt, et a funibus res sustulerunt. fornicem paruum humilemque sub muro nouo pro egressu fluuii fabricauerant; sed iuxta ingressum, alueum angustum adeo mutauerant ut stagnum latum a muro-montis ad caput decliuis, super quod fluuium ad Conuallem tetendit, diffunderetur. quisquis nunc ad Portam, nisi natando, appropinquare potuit solum secundum proiectum cautis angustum, ad dexteram e muro prospiciens. mannos solum ad caput graduum super pontem ueterem attulerant, quos ibi exoneratos redire ad dominos ueteres iusserunt, et quos sine rectoribus ad Meridiem remiserunt.

---

uenit nox quaedam, ubi subito ante eos multae luces quasi ignium atque facum a meridie in Conualle adfuerunt.

“uenerunt!” Balinus uocauit. “et castra illorum sunt praegrandia. haud dubium quin in uallem a crepusculo tecti secundum utramque ripam fluminis aduenissent.”

illa nocte nani minime dormiuerunt. mane etiam pallidum fuit, cum manum appropinquantem uiderunt. quam a tergo muri ad caput uallis aduenientem et lente ascendentem aspexerunt. mox uidere potuerunt et homines lacus armatos quasi ad bellum inter quos sagittarios dryadum adesse. primi quorum tandem ad saxa collapsa ascenderunt et in summo deiectu aquae apparuerunt; qui ualde admirati sunt quod stagnum ante se atque Portam a

muro lapidis recens secati obsaeptam uiderent.

dum digitis monstrantes et inter se loquentes stant, Thorinus eos salutauerunt: “qui estis uos?” magna uoca uocauit, “qui sicut in bello ad portas Thorini Thraini filii, Rex sub Monte, uenitis, et quid desideratis?”

sed nihil responderunt. aliqui se cito reuersi sunt, et ceteri, postquam Portam atque munitiones eius aliquamdiu intuiti, mox eos secuti sunt. illo die castra ad orientem fluminis usque inter bracchia Montis mouerunt. tum saxa cum uocibus atque cantu resonauerunt, quae res per multos dies non gesta erat. fuit quoque sonitus lyrarum dryadum et musicae dulcis; et dum hic sursum ad eos resonat, aer frigidus calescere uidebatur, et odorem suauem hebetem florum siluestrium in uere florentium capiebant.

tum Bilbo desiderauit se ab arce atra effugere, et descendere ut in hilaritate atque epulatione iuxta ignes particeps esset. nonnulli nani iuueniores quoque in cordibus suis mouebantur, et murmurabant se cupire ut res aliter effectae essent et talem gentem hospitaliter saluere iubeant; sed Thorinus frontem contraxit.

tum nani ipsi lyras atque organa ab aceruo reciperata extulerunt, et modulati sunt ad animum eius molliendum; sed cantus quorum non fuit cantus dryadum, sed ueri similis fuit illi cantui, quem multo ante in paruo foramine Bilbonis cantauerant.

tandem sub tenebris rupibus arduis
Montis Rex reuenit dignus ad

atrium!
hostis mortuus est, Vermiculus Metus,
hostes perpetuo sic modo decidant.

longum nunc iaculum est, ensis acutus est,
est telum citius, sunt ualidae fores;
omnes aspiciant diuitias suas
quas seruemus et a fraudibus et dolis.

maiores faciunt carmina pristine
tinnituque sonant uerbera mallei
altis in spatiis quis mala dormiunt
effossis domibus sub scopulis iugi.

pendent florea nunc stella monilibus
albis, flectitur et uertice regio
anguis flammiferus, stamine ferreo
carpunt e citharis carmina callidis.

Montis regia nunc reddita uinculis!
nunc rursus redeat hic reuocata gens!
festina citius marcida per loca!
nam regi sociis atque opus est suis.

trans Montes niueos te precibus uoco,
“ut uestros redeas ad ueteres specus!”
exspectans manet hic Rex prope ianuas,
cum gratis manibus diuitibus manens.

Montis Rex reuenit dignus ad atrium
tandem sub tenebris rupibus arduis.
occisus pereat Vermiculus Metus,
hostes perpetuo sic modo decidant!

hic cantus Thorino placere uidebatur, ut ille rursus rideret et laetaretur; et distantiam ad Colles Ferreos numerare coepit et quantum temporis praeterisset antequam Dainus, si ille quam primum nuntium ad illum aduenerat progressus sit, ad Montem Solum peruenire posset. cor autem Bilbonis decidit, propter et cantum et sermonem: nam multum bellicosiores esse uidebantur.

prima luce proxima, manum hastatorum flumen transeuntem et iter aduersa ualle facientem uiderunt, qui secum uexillum uiride Rex-dryadum et uexillum caeruleum Lacus tulerunt, et qui progressi sunt donec usque ante murum prope Portam stabant.

quos iterum Thorinus magna uoce salutauerunt: “qui estis uos, qui armati ad bellum gerendum ad portas

Thorini Thraini filii, Rex sub Monte uenistis?” hoc tempore ei responsum fuit.

homo procerus in frontem gressus est, capillis atris et specie dura, qui clamauit: “salue Thorine! cur tu se saepis, sicut latro in latibulo eius? non iam inimici sumus, et gaudemus te ultra spem nostram uiuum esse. uenimus credentes nullos hic uiuos inueniri posse; nunc tamen tibi obuiam iimus, est opus colloquio atque consilio.”

“quis es tu, et de quo colloqui uis?”

“sum Vates, et a manu mea draco interfectus et thesaurus tuus liberatus est. nonne illa est res quae tua interest? praeterea ego recto sanguine Girionis Conuallis heres sum, et in acueruo tuo multae diuitiae ex aulis eius et oppidis miscentur, quas Smaug in antiquis diebus furatus est. nonne illa est res de qua loquamur? porro Smaug in proelio suo ultimo domicilia hominum Esgarothis deleuit, Domino quorum ego etiam seruio. pro quo dicam et rogo num tu de populo eius maerenti atque miserando non cogites. qui auxilium tibi afflicto dederunt, et pro remuneratione tu adhuc ruinam solum tulisti, nihilominus temerariam.”

nunc haec fuerunt uerba aequa et uera, nihilominus superbe dureque dicta; et Bilbo putauit Thorinum statim de iustitia, quae in eis erat, confessurum esse. sed non, sane, exspectauit ut quisquam meminisset eum ipsum solum inuenisse locum draconis infirmum; quae res fuit satis bene, nam nemo umquam rem meminerat. sed quoque nihil

aestimauit et potestatem auri, super quod draco quidam diu incubauit, et corda nanorum. per horas longas diebus praeteritis Thorinus in thesauro manserat, et libido cuius super eum fuit grauis. quamquam Arkenlapidem praecipue quaesiuerat, nihilominus multa cetera admiranda ante oculos eius fuerunt, quae ibi iacebant, circum quae ueteres memoriae laborum dolorumque gentis eius torquebantur.

"tu causam pessimam nouissimam atque in loco principe dixisti," Thorinus respondit. "nullus homo thesaurum gentis meae postulare potest, quia Smaug, qui illum a nobis furatus est, quoque uitam uel domum ab eo rapuit. thesaurus Smaugi non fuit, cuius pars gesta illius mala emendare non posset. pretium bonorum atque auxilii, quae a Hominibus-Lacus accepimus, cum aequitate soluemus – in tempore idoneo. sed *nihil*, nec etiam pretium panis, uiribus minantibus dabimus. dum copia armata ante fores nostras iacet, uos sicut inimicos et fures intuemur.

"in animo habeo rogare quam partem hereditatis illorum tu cognatis nostris soluisses si aceruum incustoditum et nos interfectos inuenisses."

"quaestio quidem aequa," Vates respondit. "sed uos non mortui estis, et nos non latrones sumus. praeterea diuites egentium, qui eis inopibus amici erant, ultra ius misereantur. et etiam postulata mea cetera sine responso manent."

"cum hominibus armatis prope portam meam, ut dixi,

non colloquar. nequaquam cum populo Regis-dryadum, quem cum parua benignitate memini. qui nullam partem in hoc consilio habet. nunc abscede priusquam sagittae nostrae uolauerint! et si iterum cum me loqui uoles, primum copiam dryadum ad siluas, qui locus illius proprius, dimitte, tum, armis depositis priusquam ad limen appropinquaueris, redeas."

"Rex-dryadum est amicus meus, qui populo egenti Lacus succurrit, quamquam ab quo nihil praeter amicitiam ille postulare potuit," Vates respondit. "tempus tibi dabimus ut te uerborum paenitat. sapientiam tuam collige, priusquam redierimus!" tum discessit et ad castra rediit.

priusquam multae horae praeterierunt, uexillarii redierunt, et tubicines surrexerunt et flatum flauerunt:

"in nomine Esgarothis et Siluae," quidam clamauit, "dicimus Thorino Thraini filio Scutumquerceo, qui Regem sub Monte se appellat, quem iubemus aut postulata, quae ursimus, bene cogitare aut inimicus nobis edici. minimum tradat duodecimam partem thesauri Vati, qui draconis interfector et Girionis heres est. ab illa parte Vates ipse auxilium Esgarothi afferet; sed si Thorinus amicitiam et honorem a terris circum habere uult, sicut maiores eius in antiquis diebus habuerunt, tum quoque aliquid suum ad homines Lacus consolandos dabit."

tum Thorinus, arcu cornus prehenso, sagittam in oratorem emisit, quae scutum eius feriuit et ibi quassans mansit.

“cum tali modo respondissetis, declaro Montem circumsederi. a quo uos non discedetis, donec a parte uestra indutias atque colloquium rogaueritis. arma nulla contra uos feremus, sed uos cum auro suo relinquimus. id edatis, si uelitis!”

his dictis, nuntii cito discesserunt, et nani manserunt ut causam suam cogitarent. adeo toruus factus est Thorinus ut, etiamsi ita uellent, ceteri eum culpare non auderent; sed plurimi quidem cum mente eius se consociare uisi sunt – praeter, fortasse, senem pinguem Bomburem et Filium atque Kilium. Bilbo, sane, omnem rem improbauit. quem nunc Montis satis superque taesum est, neque cui in eo circumsederi ualde placuit.

“omnis locus draconis etiam foetet,” secum fremuit, “quamobrem nauseo. et *cram* quidem in gula mea adhaerescere incipit.”

CAPVT SEXTVM DECIMVM

FVR NOCTE

nunc dies lente atque operose praeteribant. multi nani in aceruando et ordinando thesaurum uersabantur; et nunc Thorinus de Arkenlapide locutus est, et eos id diligenter in omnibus angulis quaerere iussit.

"nam Arkenlapis patris mei," inquit, "magis quam flumen aureum ipsum ualet, et ultra pretium mihi est. quem lapidem pro meipso nomino, et illum ulciscar, qui id inuenerit sed id retinuerit."

his uerbis auditis Bilbo timebat, admirans quid factum sit si lapis inueniatur – in sarcina uetere rerum pannosarum subsiciuarum, qua pro puluino utebatur, inuolutus. nihilominus de illo non locutus est, nam, diebus lassis grauioribus factis, inceptio consilii in caput eius paruulum introiuerat.

in hoc modo res diu continuabantur, cum corui nuntiauerunt Dainum et magis quam quingentos nanos, a

Collibus Ferreis properantes, nunc iter circa bidui a Conualle abesse, a regione inter septentriones et orientem appropinquantes.

“sed ad Montem peruenire non poterunt inuisi,” Roäc inquit, “et uereor ne proelium in ualle faciant. non dico hoc consilium bonum esse. quamquam gens torua est, nequaquam ueri simile est eam copiam, quae uos obsidet, superaturam esse; etiamsi id ita fecerit, quid uobis proderit? pone eos hiems atque nix festinabant. quomodo uos sine amicitia benignitateque terrarum circum pascemini? ueri simile est thesaurum futurum esse mortem uestram, quamquam draco non est!”

sed Thorinus non commotus est.“hiems atque nix et homines et dryades mordebunt,” inquit, “qui inueniant se in uastitate dure habitare. cum amicis meis post illos et hieme super illos, fortasse illi animis mollioribus cum nobis colloquentur.”

illa nocte Bilbo statuit quid acturus sit. caelum fuit nigrum sine luna. quam primum tenebrae erant plenae, ad angulum quemdam conclauis interioris modo intra portam iit, et e sarcina sua funem extraxit, et porro Arkenlapidem in panno inuolutum. tum ad summum murum ascendit. Bombur solus ibi adfuit, qui uicissim uigilias seruabat, nam nani unum uigilem solum uno tempore habere solebant.

“tempestas est frigidissima!” Bombur inquit. “utinam ignem habere hic possimus sicut in castra habent!”

"est satis caloris in interiore," Bilbo inquit.

"ita credo; sed usque ad mediam noctem hic alligor," nanus pinguis fremuit. "res omnino miser est. ego cum Thorino, barba cuius semper longius crescat, non dissentire audebo; nihilominus ille nanus cum ceruice rigida semper erat."

"non tam rigida quam crura mea," Bilbo inquit. "scalarum et meatuum saxorum me taedet. multa dem ut gramina ad digitos pedum sentiam."

"ego multa dem ut potionem fortem in gula mea et lectum mollem post cenam bonam sentiam!"

"illa tibi dare non possum, dum obsidemur. sed diu uigilias non seruaui, et partem tuam pro te habebo, si id tibi placet. hac nocte non est somnus in me."

"tu es bonus, Domine Baggins, et quod obtulisti benigne accipiam. si aliquid animaduertendum sit, caue ut me primum excites! in conclaui interiore ad sinistram, quod non procul abest, iacebo."

"exi!" Bilbo inquit. "te media nocte excitabo, ut tu uigilem proximum excites."

quam primum Bombur exiit, Bilbo, anulo induto et fune ligato, super murum delapsus, afuit. circa quinque horas ante eum habuit. Bombur dormiebat (qui quandocumque dormire poterat, et ex quo facinus audax in silua, semper somnia pulchra, quae tunc habuerat, recipere conabatur); et ceteri cum Thorino occupati sunt. parum ueri simile est aliquos, etiam Filium uel Kilium, in murum exituros esse

donec eis opus fuit uigilias seruare.

omnia omnino tenebrosa erant, et mox uia, cum a semita noua facta discessisset et ad alueum inferiorem fluuii descendisset, insolita ei fuit. postremo ad flexum aduenit, ubi ei opus fuit aquam transire, si ad castra tenderet, sicut uoluit. ibi alueus fluuii uadosus sed iam latus fuit, ut hobbitus paruulus in tenebris non facile illum uado transire posset. paene transiit cum, pedibus in saxo globoso lapsis, in aquam frigidam aspergine decidit. uix in ripam ulteriorem elapsus est, horrens atque tussiens, cum in caligine dryades cum lanternis claris aduenerunt qui causam sonitus quaesirent.

"id fuit nullus piscis!" quidam inquit."est explorator hic. luces celate! ei magis quam nobis usui erunt, si illum sit salaputium, quod seruus eorum esse dicitur."

"seruus quidem!" Bilbo fremuit; et in medio fremitu clare sternuit, ut dryades statim ad sonitum properarent.

"fiat lux!" inquit. "hic sum, si me uultis!" et, anulo ablato, a tergo saxi apparuit.

statim eum cito prehenderunt, admirationibus non exceptis. "quis es tu? hobbitusne nanorum es? quid facis? quomodo uigiles nostros tam longe praeterire potuisti?" uicissim rogauerunt.

"sum Dominus Bilbo Baggins," ille respondit, "Thorini comes, si rem scire uultis. regem uestrum uisu cognosco, quamquam fortasse ille aspectum meum non cognoscit. sed Vates me recordabitur, et est Vates, quem praecipue

uidere uolo."

"sane!" illi inquiunt, "et quid sit negotium tuum?"

"quidcumque sit, meum est, mi boni dryades. sed si uos ad siluas suas ab hoc loco frigido iniucundoque redire uultis," ille horrens respondit, "me cito ducetis ad ignem, quo me siccem – et tum me cum ducibus uestris loqui patiemini, quam celerrime. solum unam horam uel duas liberas habeo."

---

itaque, circa duas horas postquam a Porta effugit, Bilbo iuxta ignem calidum ante magnum tabernaculum sedebat, et ibi quoque sedebant, eum curiose intuentes, et Rex-dryadum et Vates. hobbitus quidam quasi dryas armatus, partim in stragula uetera inuolutus, fuit illis res noua.

"re uera, scitis," Bilbo in modo suo negotii optimo loquebatur, "res impossibiles esse. me ipsum omnis rei taedet. utinam ego domum meam in Occidente redire possim, ubi populus aequior est. sed haec res mea interest – pars quarta decima exacta, e litteris, quas, ut credo, feliciter seruaui." e sinu in tunica uetera (quam etiam super loricam gessit), corrugatam atque multum complicatam, extulit epistulam Thorini, quae sub horologio eius in tabula supra focum Maio deposita erat!

"ut pars *lucrorum* sit animaduertite," continuauit. "id intellego. ego ipse omnino paro omnia postulata uestra diligenter cogitare, et de summa partem iustam deducere priusquam meam postulabo. uos tamen Thorinum

Scutumquerceum tam bene quam ego nunc non scitis. mihi credite illum admodum paratum esse ad sedendum in aceruo auri atque se fame enecandum, dum uos hic sedetis."

"ita id faciat!" Vates inquit. "talis stultus fame enecari meret."

"ita uero," Bilbo inquit. "sententiam tuam intellego. nihilominus, hiems cito appropinquat. mox tibi erunt nix et nescio qua cetera, et commeatus erunt difficiles – etiam dryadibus, ut puto. porro, erunt difficultates aliae. num Dainum atque nanos e Collibus Ferreis audiuisti?"

"iampridem audiuimus; sed quid ille nostra interest?" rex rogauit.

"ita putaui. uideo me nuntium habere, quod uos non habetis. Dainus, mihi licet uobis dicere, nunc minus quam iter bidui abest, qui secum quingentos nanos minimum habet – multi quorum in bellis diris inter nanos gobelinosque periti sunt, de quibus sine dubio audiuistis. cum aduenerint, res erunt aduersae."

"cur hoc nobis dicis? prodisne amicos tuos, uel minarisne nobis?" Vates dure rogauit.

"carissime Vates!" Bilbo stridit. "noli festinare! numquam obuiam populo tam suspicioso ii! ego solum molestiam pro omnibus, qui in re uersantur, uitare conor. nunc uobis condicionem feram!"

"illam audiamus!" inquiunt.

"illam uideatis!" ille inquit. "ecce hunc!" et

Arkenlapidem extulit, et inuolucrum eiecit.

Rex-dryadym ipse, oculi cuius res admirandas atque pulchras uidere solebant, attonitus surrexit. Vates etiam illum tacitus admirans aspexit. fuit globus qui quasi luce lunae impletus esset et ante eos in rete a fulgore stellarum gelidarum texto pependisset.

"hic est Arkenlapis Thraini," Bilbo inquit, "Cor Montis; et etiam cor Thorini. qui hunc magis quam flumen auri aestimat. quem uobis dono. hic uobis paciscentibus auxilio erit." tum Bilbo, non sine horrente, non sine aspectu desiderii, lapidem mirabilem Vati tradidit, qui sicut stupefactus illum in manu prehendit.

"sed quomodo est tuus ut eum dones?" ille nitens tandem rogauit.

"o sane!" hobbitus incommodus inquit. "non omnino meus est; sed, nihilominus, scito me pro postulato meo illum deponere uelle. effractarius sim – uel ita dicitur: re uera ego ipse numquam sensi me esse unum – sed spero me unum honestum, magis minusue, esse. nihilominus nunc redeo, et licet nanis me tractare, quocumque modo illis placeat. spero eum uobis usui futurum esse."

Rex-dryadum cum admiratione noua Bilbonem aspexit."Bilbo Baggins!" inquit. "tu es magis dignus gerere arma principum dryadum quam multi, qui in eis pulchriores esse uisi sunt. sed admiror num Thorinus Scutumquerceum in eodem modo rem uideat. ego fortasse plura de nanis plerisque intellego quam tu. moneo te

nobiscum manere, et hic te colemus et amantissime excipiemus."

"tibi gratias maximas ago, sane," Bilbo capite demisso inquit. "sed non puto me in hoc modo relinquere amicos meos oportere, post omnia quae una passi sumus. porro promisi me media nocte senem Bomburem excitaturum esse! haud dubium est quin exeam, et cito!"

nequaquam uerbis dictis eum detinere potuerunt; itaque ei comitatum dederunt, et rex et Vates eum discedentem honore salutauerunt. ut per castra pertransibant, senex quidam, in amiculo atro inuolutus, e ianua tabernaculi, ubi sedebat, surrexit et eum appropinquauit.

qui "macte uirtute, Domine Baggins!" inquit, Bilbonem in tergo eius plaudens. "sunt semper plura de te quam aliquis expectat!" fuit Gandalphus.

primo tempore in multis diebus Bilbo ualde gaudebat. fuit autem omnino nullum tempus ad rogandas omnes quaestiones, quas statim rogare uoluit.

"omnia in tempore!" Gandalphus inquit. "res ad finem nunc appropinquant, nisi ego erro. est tempus iniucundum modo ante te; sed animum erige! tibi satis bene peruenire *liceat*. est nuntius adueniens, quem etiam corui non audiuerunt. bene ualeas!"

turbatus sed hilaratus, Bilbo festinauit. ad uadum tutum ductus trans quod siccus latus, dryadibus ualere dixit et caute rursus ad Portam ascendit. defessus fiebat; sed longe fuit ante mediam noctem cum iterum funem scandit – qui

etiam fuit in eodem loco quo ille eum reliquerat. quem soluit et celauit, et tum in muro consedit et anxie miratus est quid proxime acturum sit.

media nocte Bomburem excitauit; et tum uicissim se in angulo suo inuoluit, gratiis senis nani inauditis (quas sensit se uix meruisse). mox grauiter dormiebat, omnium curarum oblitus usque ad mane. re uera, de ouibus atque larido somniabat.

CAPVT SEPTIMVM DECIMVM

NVBES RVMPVNTVR

proximo die tubae in castris prima luce resonauerunt. mox cursorem solum secundum semitam angustam festinantem uiderunt. qui procul stetit atque eos salutauit, rogans num Thorinus nunc legationem alteram audiat, quia nuntii noui ad manum uenissent, et res mutatae essent.

his auditis, “id est Dainus!” Thorinus inquit. “audiuerunt eum appropinquare. quam rem putaui mentes mutaturam esse! illos uenire iubete, paucos atque inermes, et illos audiam,” nuntio clamauit.

circa medium diem uexilla Siluae atque Lacus rursus elata uiderunt. copia uiginti hominum appropinquabat. ensibus atque hastis in principio uiae angustae depositis, ad Portam perrexerunt. admirantes, nani uiderunt inter eos et Vatem et Regem-dryadum esse, ante quos senem in amicula atque cucullo inuolutum ferre arculam ligneam ferro alligatam.

"salue Thorine!" Vates inquit. "esne etiam in eadem mente?"

"mens mea cum solibus paucis ortis atque occasibus non mutatur," Thorinus respondit. "uenisne ut me quaestiones otiosas roges? etiam copia-dryadum non discessit, ut iussi! donec illud tempus, frustra uenis ad paciscendum mecum."

"estne ergo nihilum pro quo tu aurum aliquid concedes?"

"nihilum quod a te uel amicis tuis offerri possunt."

"quid de Arkenlapide Thraini?" ille inquit, simul senex arculam aperuit, et gemmam erexit. lux e manu exsiluit, clara atque candida in mane.

tum Thorinus attonitus turbatusque obmutescebat. nemo diu locutus est.

Thorinus tandem silentium disturbauit, cuius uox densa cum ira fuit. "ille lapis patris mei fuit, et meus est," inquit. "cur me oportet meum emere?" admiratione autem superatus addidit: "sed quomodo relictum hereditarium domus meae obtinuistis – si opus sit talem quaestionem a furibus rogare?"

"nos non fures sumus," Vates respondit. "tuum tibi pro nostris dabimus."

"quomodo eum obtinuistis?" Thorinus ira crescente clamauit.

"ego eum illis dedi!" Bilbo stridit, qui super murum despiciens, nunc ualde timebat.

“tu! tu!” Thorinus clamauit, in eum magno impetu rediens et eum cum manibus ambabus prehendens. “tu miser hobbite! tu paruule – effractari!” uerbis amissis clamauit, et miserum Bilbonem quasi cuniculum quassauit.

“a barba Durini! utinam Gandalphus adsit! illi maledic quia ille te elegit! barba eius languescat! et de te, te ad saxa iaciam!” clamauit et Bilbonem in bracchiis suis sustulit.

“mane! desiderum tuum expletum est!” uox quaedam inquit. senex cum arcula cucullum atque amiculam abiecit. “hic est Gandalphus! et nequaquam praemature uidetur. si Effractarius meus non tibi placet, noli ei nocere, quaeso. eum depone, et primum uerba eius audi!”

“uos omnes in coniuratione esse uidemini!” Thorinus inquit, Bilbonem in summum murum demittens. “numquam rursus negotia cum ullo mago uel amicis eius agam. quid mihi dicis, tu progenies murium?”

“me miserum! me miserum!” Bilbo inquit. “enimuero haec res incommodissima est. meministine te dixisse me partem meam quartam decimam eligere posse? fortasse sententiam tuam ad uerbum accepi – mihi dictum est nanos aliquando in uerbis quam in rebus gestibus urbaniores esse. nihilominus, fuit tempus in quo tu uisus es putare me aliquantulum usui esse. progenies murium quidem! estne hoc omne ministerium e te atque tuis, quod mihi pollicitus es, Thorine? accipe me deposuisse partem meam, sicut uolui, itaque rem relinque!”

"rem relinquam," Thorinus toruiter inquit. "porro in eodem modo te relinquam – utinam nos numquam rursus conueniamus!" tum se uerso super murum locutus est."ego proditus sum," inquit. "recte coniectum est me non posse recusare me redempturum esse Arkenlapidem, thesaurum domus meae. pro quo partem quartam decimam acuerui in argento atque auro dabo, gemmis exceptis; sed illa pro parte pollicita proditoris istius numeretur, qui cum illo praemio abscedat, et uos illud diuidatis sicut uultis. sine dubium est quin ille parum habeat. eum accipe, si uultis eum uiuere; neque amicitia mea eum comitat.

"nunc ad amicos tuos descende!" Bilboni inquit, "aliter te deiciam."

"quid de auro atque argento?" Bilbo rogauit.

"id post sequetur, sicut instituerimus." ille inquit. "descende!"

"usque ad illud tempus, lapidem seruabimus," Vates clamauit.

"tu non uir eminens es ut Rex sub Monte," Gandalphus inquit. "sed rebus etiam mutari licet."

"illis quidem licet," Thorinus inquit. et iam, tam fortis fuit fascinatio thesauri super eum, cogitabat num Daino iuuante Arkenlapidum recipere et partem praemii retinere possit.

itaque Bilbo de muro demissus est, et abscedit cum nullis pro omnibus suis molestiis praeter arma, quae Thorinus iam ei dederat. magis quam unus nanorum in

cordibus suis pudorem atque misericordiam erga eum, qui discedebat, senserunt.

"ualete!" eis clamauit. "rursus conueniamus ut amici!"

"abscede!" Thorinus uocauit. "tu lorica, quae a gente mea facta est, uestitus es, quae nimis bona tibi est. illa a sagittis perforari non potest; sed si tu non properas, pedes miseros pungam. ita festina!"

"noli festinare!" Vates inquit. "tempus tibi dabimus in crastinum diem. medio die redibimus et uidebimus num tu partem, quae pro lapide numerabitur, ex aceruo efferas. si illam rem sine fraude feceris, tum nos discedemus, et copia-dryadum ad Siluae redibit. interim, uale!"

his dictis ad castra redierunt; sed Thorinus nuntios a Roäce misit qui Daino de rebus gestis narrarent, atque eum uenire cum celeritate cauta iuberent.

---

ille dies praeteriit et nox. proximo die, uento ad occidentem uerso, aer fuit ater atque caliginosus. matutino etiam clamorem in castra audiuerunt. cursores introierunt qui nuntiauerunt copiam nanorum apparuisse circum iugum orientale Montis, quam nunc ad Conuallem festinare. Dainus aduenerat. qui per noctem maturauerat itaque illis superuenerat maturius quam illi exspectauerant. quisque gentis eius in lorica chalybis uestitus est, quae ad genua pependit, et crura tibialibus a macula metallica tenui flexibilique factis tecta sunt, de fabricatione arcana cuius solum gens Daini cognouit. nani pro proceritate sua

fortissimi sunt, sed plurimi quorum fortes etiam pro nanis fuerunt. dum pugnant, dolabras ponderosas in duabus manibus gesserunt; sed quisque quoque gladium in latere suo et clipeum in tergo suo pendentem habuit. barbae suae fuerunt bifurcae atque implicatae atque in cingula sua trusae. pillei fuerunt ferrei, et ferro calcati sunt, et facies suae fuerunt toruae.

tubae homines et dryades ad arma uocauerunt. mox nanos progredientes gressibus festinis aduersus uallem uiderunt, qui inter flumen et iugum orientale constiterunt; sed pauci iter facere continuabant et, flumine transito, ad castra appropinquabant; ibi armis suis depositis manus in signa pacis sustulerunt. Vates egressus est ut illis obuiam iret, a Bilbone comitatus.

"a Daino Naini filio missi sumus," interrogantibus responderunt. "ad cognatos suos in Monte festinamus, cum cognouerimus regnum dierum antiquorum restitui. sed qui estis uos, qui in campo sedent ut hostes ante muros defensos?" id, sane, in urbanis atque antiquioribus uerbis talium occasionum, solum significauit: "uos nullum negotium hic habetis. nos pergimus, itaque cedite, aliter contra uos contendemus!" in animo habuerunt pergere inter Montem atque flexum fluminis; nam ibi terra angusta fortiter custodiri non uisa est.

Vates, sane, recusauit sinere nanos directo ad Montem pergere. ei certum est manere donec aurum atque argentum pro Arkenlapide elata sunt; nam non credidit illos

perfecturos esse rem, si arcem cum tam magna atque bellicosa copia compleuerint. secum magnos commeatus tulerunt; nam nani onera ponderosissima ferre possunt, et paene omnis gens Daini, itinere cito facto tamen, ingentem sarcinam, armis additam, in tergo suo tulit. obsidioni resistere per hebdomades poterunt, quo tempore pluribus nanis aduenire liceat, et pluribus etiam, nam Thorinus multos cognatos habuit. porro illis liceat nescio quam portam aliam aperire atque custodire, ut obsessores totum montem circumuenire cogantur; et ad illam rem faciendam parum habuerunt.

re uera, haec fuerunt consilia sua exacte (nam nuntii-corui inter Thorinum atque Dainum occupati sunt); sed nunc uia obsaepta est, itaque post uerba irata nuntii-nani, in barbis suis mussantes, pedem rettulerunt. tum Vates nuntios ad Portam statim misit; qui tamen nihil auri nec pensionis inuenerunt. sagittis emissis quam primum intra teli iactum aduenerunt, pauidi refugerunt. in castris nunc omnia fuerunt agitata, quasi ad proeliandum, nam nani Daini secundum ripam orientalem progrediebantur.

"stulti!" Vates risit, "qui ita sub bracchio Montis ueniunt! bellum super terram non intellegunt, quodcumque illis licet de proeliando in fodinis scire. nunc sunt multi sagittarii nostri atque hastati inter saxa in latere dextro celati. lorica nanorum licet esse bona, sed mox multis periculis undique cingentur. nos impetum in eos utrimque faciamus, priusquam omnino requieuerunt!"

Rex-dryadum tamen inquit: “diu remanebo, antequam hoc bellum auri causa incipiam. nani nos praeterire non poterunt, nisi eos siuerimus, neque aliquid facere poterunt, quod notare non poterimus. etiam speremus aliquid nos in concordiam redacturum esse. multitudo nostra nobis satis proderit, si demum nobis misere pugnandum sit.”

sed ille nanos non considerauit. in mentibus quorum scientia Arkenlapidis in manibus obsessorum flagrabat; porro coniecerunt Vatem et amicos cunctari, et constituerunt in eos, dum consiliantur, facere impetum.

repente sine signo taciti insiluerunt. arcus intendebantur et sagittae emittebantur; proelium committebatur.

magis repente etiam, tenebrae celeritate dira aduenerunt! nubes nigra trans caelum festinauit. tonitrus hiemalis in uento saeuo fremens appropinquauit atque in Monte circumtonauit, cum fulmine in summo fulgenti. et sub tonitru caliginem aliam in turbine appropinquantem uidere potuerunt; quae tamen cum uento non aduenit, e Septentrionibus uenit sicut ingens nubes auium, adeo densa ut nullam lucem inter alas uidere possent.

“desistite!” Gandalphus clamauit, qui subito apparuit, et solus, bracchiis erectis, inter nanos progredientes et ordines eos exspectantes stetit. “desistite!” uocauit uoce sicut tonitru, baculum cuius fulgore sicut fulmine eluxit. “formido uobis omnibus superuenit! heu! citius quam putaueram. gobelini uobis superuenient! Bolg Septentrionum uenit, o Daine! patrem cuius in Moria

necauisti. ecce! uespertiliones super exercitum eius sunt, sicut mare locustarum. super lupos uehuntur, et wargi eos sequuntur!”

omnes omnino fuerunt attoniti atque stupefacti. etiam dum Gandalphus loquitur tenebrae crescebant. nani constiterunt et caelum aspexerunt. dryades uocibus plurimis exclamauerunt.

“uenite!” Gandalphus uocauit. “etiam tempus est ad consiliandum. Dainus Naini filius ad nos cito ueniat!”

---

itaque proelium ab omnibus inopinatum inierunt; quod Proelium Quinque Exercituum appellatum est, et ualde terribile fuit. in alia parte fuerunt Gobelini atque Lupi Feri, et in alia fuerunt Dryades atque Homines atque Nani. hic est modus in quo factum est. cum Gobelinus Magnus Montium Nebulosorum decidisset, gens eius odium suum in nanos usque ad iram refouerunt. nuntii huc et illuc inter omnia oppida sua, colonias atque arces itinera fecerant; nam uincere imperium Septentrionum nunc statuerunt. a uiis arcanis nuntios collegerunt; et per omnes montes res fabricabant atque se armabant. tum iter fecerunt et a colle atque ualle conuenerunt, semper per cuniculos uel subter tenebras progredientes, donec circum atque subter ingentem Montem Gundabad Septentrionum, in quo oppidum eorum princeps fuit, copia praegrandis coacta est, quae se parabat in tempestate tempestiua in Meridiem ex inopinato descendere. tum de morte Smaugis

cognouerunt, et gaudium in cordibus suis habuerunt; et noctes atque noctes per montes festinauerant, et tandem e Septentrione, directo pone Dainum, repente aduenerant. nec etiam corui sciuerunt illos aduenisse, donec illi in terris fractis, quae Montem Solum a collibus in tergo diuiserunt, euenerunt. quantum sciuerit Gandalphus, non dici potest, sed certum est eum non exspectauisse hunc impetum subitum.

hoc est consilium, quod is in consilio cum Regedryadum atque Vate fecit; et cum Daino, nam nunc dominus-nanus eos iunxit: omnes Gobelinis inimici fuerunt, quia illi aduenerant, omnia iurgia cetera fuerunt oblita. spem solam habuerunt ut gobelinos in uallem inter bracchia Montis inducerent; et ipsi magna iuga, quae ad meridiem atque orientem tetendebant, custodirent. nihilominus illa res esset periculosa, si satis copia gobelinis esset ut montem ipsum peruagari possent, itaque impetum quoque et in tergum et desuper facerent; sed nihil temporis fuit aut ad consilia altera capienda aut auxilium uocandum.

mox tonitrus praeteriit, rotans inter Meridiem et Solis ortum; sed nubes uespertilionum uenit, inferius uolitans, super umerum Montis, et super eos, lucem includens et omnes formidine implens, rotabatur.

“ad Montem!” Vates clamauit. “ad Montem! nos, dum etiam tempus est, se ordinemus!”

in iugo meridionale, in cliuis imis et in saxis ad

infimum, dryades steterunt; in iugo orientale fuerunt homines atque nani. Vates autem et nonnulli homines atque dryades summa agilitate ad uerticem umeri orientalis ascenderunt ut ad Septentriones aspicerent. mox terras ante pedes Montis nigras cum multitudine festinanti uidere potuerunt. paulo post primum agmen circum finem iugi se rotatum, festinans in Conuallem cucurrit. qui fuerunt rectores luporum celerrimi, et iam clamores quorum atque ululatus aerem procul scindebant. pauci homines fortes ante illos ordinati sunt qui se resistere illis fingerent, et ibi deciderunt antequam ceteri reuersi ad utrumque latus pedem rettulerunt. sicut Gandalphus sperauit, exercitus gobelinorum, pone primum agmen obstatum collectus, nunc iratus in uallem infusus est, et insanus, hostes quaerens, inter bracchia Montis erumpebat. uexilla fuerunt innumerabilia, nigra atque rubra, et irati atque turbidi quasi aestus pergebant.

atrociter pugnatum est. quae res fuit pessima omnium quas Bilbo passus erat, et quam in illo tempore maxime oderat – ergo rem, qua maxime se iactauit, et quam multo post amantissime reuocare solebat, quamquam in illa re minimi momenti fuit. re uera, mihi liceat dicere eum, anulo praemature induto, ex aspectu euanescere, sed non e periculo omni. anulus magicus talis generis non omnino est praesidium contra gobelinos impetum facientes, neque sagittas uolantes atque hastas erraticas obsistere potest; sed auxilio est in mouendo e uia, et gobelinum-

gladiatorem prohibet ne ille caput tuum ad ictum repente proprium eligat.

dryades primum impetum fecerunt. odium quarum in gobelinos est frigidum atque acerbum. hastae suae atque enses in caligine cum fulgore flammae frigidae nitebant, tam letifera fuit ira manuum, quae illas tenebant. quam primum copia hostium in ualle densa fuit, pluuiam sagittarum contra eam miserunt, quaeque effugiens effulgebat quasi cum flamma pungenti. post sagittas mille hastati desiluerunt et impetum fecerunt. aures a clamoribus obtusae sunt; saxa sanguine gobelinorum maculata sunt.

tum maxime gobelini ab incursu se reficiebant et impetus dryadum constitit, fremitus quidam ab imis faucibus trans uallem errexit. clamitantes “Moria!” atque “Daine, Daine!” nani Collium Ferreorum, dolabras suas gerentes, in altero latere se immerserunt; et iuxta eos homines Lacus ensibus longis uenerunt.

terror in gobelinos incidit; dum se uertunt ut incursui nouo obuiam eant, dryades cum copiis recreatis impetum iterum fecerunt. iam multi gobelinorum secundum flumen deuolabant ad effugiendum ex insidiis; et multi lupi quorum in eos impetum faciebant et mortuos atque uulneratos mordebant. uictoria adesse uisa est, cum clamor e uerticibus supra resonauit.

gobelini Montem ab altero latere ascenderant et iam multi in cliuis super Portam aderant, et alii temere defluebant, eorum, qui ululantes e scopulo atque

praecipite decidebant, negligentes, ut in iuga impetum desuper facerent. quidque iugum attingi potuit a semitis, quae a massa principe Montis in medio decurrerunt; et fuerunt parum defensorum ad diu uiam obsaepiendam. uictoria nunc a spe effugit. modo primo impetui aestus nigri obstiterunt.

die crescente, gobelini iterum in ualle se congregauerunt. ibi copia wargorum uoracium uenit et cum eis satellites Bolgis uenerunt, gobelini magnitudinis praegrandis cum ensibus falcatis chalybis. mox tenebrae uerae in caelum procellosum ueniebant; dum adhuc uespertiliones magni capita atque aures dryadum hominumque circumuolitant, uel uulneratibus se infigunt sicut[*] sanguisugae. nunc Vates contendebat ad iugum orientale defendendum, nihilominus pedem lente referebat; et dominidryadum circum regem suum in bracchio meridionali iuxta speculam in Coruicolle se opponebant.

repente fuit magnus clamor, et uox tubae e Porta uenit. Thorini obliti sunt! pars muri, a uectibus mota, crepitu extrinsecus in stagnum decidit. Rex sub Monte exsiluit, et comites eius eum secuti sunt. cucullum atque amiculum reliquerunt; se in lorica nitenti uestiebant, et lux rubra ex oculis exsiliebat. in caligine, nanus magnus sicut aurum in igne deficienti fulgebat.

ab excelso gobelini, qui supra fuerunt, saxa deiecerunt; sed nani obdurauerunt, ad pedem deiectus aquae desiluerunt et in proelium irruerunt. lupus et rector ante

eos deciderunt. Thorinus securem cum magnis ictibus tractauit, et nihil ei nocere uisus est.

“ad me! ad me! dryades et homines! ad me! o cognati!” clamauit, uoce quassanti sicut cornu in ualle.

omnes nani Daini, ordinibus neglectis, ad illum adiuuandum decurrerunt. deorsum quoque multi Homines-Lacus uenerunt, nam Vates eos retinere non potuit; et in latere altero multi hastati dryadum euenerunt. gobelini iterum in ualle trucidati et aceruati sunt donec Conuallis ater atque horribilis a cadaueribus eorum factus est. wargi sparsi sunt et Thorinus usque in satellites Bolgis impetum fecit. ordines autem quorum transfigere non potuit.

iam pone eum inter gobelinos mortuos iacuerunt multi homines atque multi nani atque multae dryades pulchrae, quas adhuc per saeculas longas iucundae in silua oportuit uiuere. et quo uallis latior fiebat, eo impetus eius lentior fiebat. parum numeri habuit. latera sua incustodita fuerunt. mox in illos, qui impetum fecerant, impetum factum est, ut in magnum circulum cogerentur, aduersus omnes partes, a gobelinis atque lupis, ad impetum reuenientibus, circumsessi. satellites Bolgi ululantes contra eos uenerunt, et in agmina irruerunt sicut undae in scopulos harenosos. amici eos adiuuare non potuerunt, nam impetus ex Monte uiribus ingeminatis renouatus est, ut utrimque et homines et dryades lente deicerentur.

Bilbo miserans omnia despexit. in Coruicolle apud dryades constitit – partim quod ueri similius se ex illo

loco effugere posse, et partim (cum parte mentis Tookensi) quod, si ei necesse sit perstare usque ad extremam rem, omnibus perpensis, Regem-dryadum defendere maluit. Gandalphus etiam, mihi licet dicere, ibi fuit, humi sedens quasi penitus cogitans, dum parat, ut puto, aliquem impetum magicum ante finem.

qui non longe abesse uisus est. “tempus mox aderit,” Bilbo putauit, “cum gobelini Portam uicerint, et nos omnes trucidati aut depulsi atque capti fuerimus. re uera, satis est ut, post omnia quae passus sum, lacrimem. utinam uetus Smaug cum omni thesauro misero supersit, potius quam istae beluae foedae eum habeant, et miser uetus Bombur, et Balinus et Filius et Kilius et omnes ceteri ad finem malum adueniant; atque Vates quoque, et Homines-Lacus et iucundae dryades. me miserum! multos cantus de multis proeliis audiui, et semper intellexi clades esse gloriosam posse. nunc illa incommodissima esse uidetur, etiam acerba. utinam ego longe ex illa absim.”

nubes a uento scindebantur, et occasus solis ruber Occidentem iciebat. fulgore subito in caligine aspecto, Bilbo cirumspectauit. tum magnum clamorem emisit: nam aspectum aspexerat, qui effecit ut cor eius exsiluit, figuras atras, paruas etiam augustas contra ardorem, qui procul afuit.

“aquilae! aquilae!” clamauit, “aquilae ueniunt!”

oculi Bilbonis raro errauerunt. aquilae uento secundo ueniebant, agmen post agmen, talis copia qualis ab

omnibus nidis Septentrionum colligenda fuit.

“aquilae! aquilae!” Bilbo clamauit, saltans et bracchia iactans. si dryades eum audire non potuerunt, eum uidere potuerunt. mox illae quoque clamorem sustulerunt, qui trans uallem resonauit. multi oculos miratos erexerunt, quamquam etiamnunc nihil uideri potuit, nisi ab umeris meridionalibus Montis.

“aquilae!” Bilbo rursus clamauit, sed tum maxime saxum quoddam de excelsis deruens eum in galea grauiter icit ut crepitu decideret et nihil ulterius cognosceret.

CAPVT OCTAVVM DECIMVM

ITER RETRORSVM

cum Bilbo se recepisset, ipse uero solus fuit. in lapidibus planis Coruicollis iacebat, sed nemo adfuit. dies sine nubibus, sed gelidus, latus super eum fuit. is tam frigidus quam lapis horrescebat, sed caput eius cum igne flagrabat.

"nunc admiror quid factum esset?" secum inquit. "ego sum adhuc non iam unus heroum occisorum; sed puto satis temporis ad illam rem etiam superesse!"

cum dolore sursum sedit. in uallem aspiciens, nullos gobelinos uidere potuit. paulo post, capite paululum recreato, putauit se dryades inter saxa infra errantes uidere posse. oculos triuit. nonne castra adhuc in campo haud procul absunt; et huc et illuc iuxta Portam itur? nani in muro remouendo occupari uidentur. ubique autem fuit silentium letiferum. fuit uocatus nullus nec imago cantus cuiusdam. dolor in aere esse uisus est.

"uictoria demum, ut puto!" inquit, dum caput dolens

tangit. “sane, res tristissima esse uidetur.”

repente sensit uirum appropinquantem ad eum ascendere.

“salue!” uoce tremula uocauit. “salue! quid nuntii?”

“quid uox est, quae inter lapides loquitur?” uir inquit consistens atque circum se intuens non longe a loco in quo Bilbo sedebat.

tum Bilbo anulum suum meminerat! “di me ament!” inquit. “dum inuisibilis sum, nihilominus aliquando res fit molesta. sin aliter, ut puto, mihi licitum sit tepide commodeque cubitum ire!”

“est mea, sum Bilbo Baggins, Thorini comes!” clamauit, anulo properanter dempto.

“bene est quod ego te inueni!” uir aggrediens inquit. “tu requiritur, et te diu quaesiuimus. tu inter mortuos, qui multi sunt, numeratus sis, si Gandalphus magus non dixerit uocem tuam in hoc loco proxime auditam esse. ego missus sum ut hic te extremo tempore quaererem. esne ualde uulneratus?”

“puto caput meum dure pulsatum fuisse,” Bilbo inquit. “sed galeam atque caluariam duram habeo. nihilominus nauseo, et crura mea sunt quasi stramenta.”

“te ad castra in ualle deferam,” uir inquit, qui eum leuiter sustulit.

uir citus fuit, qui pedibus firmiter institit, ut mox Bilbo ante tabernaculum Conualle deponeretur; et ibi stabat, cum bracchio suo in *mitella, Gandalphus. magus etiam sine

uulnero non euaderat; et in omni copia pauci fuerunt incolumes.

cum Gandalphus Bilbonem uidisset, laetatus est. “Baggins” exclamauit. “di immortales! qui post omnes res uiuit – ego laetus *sum*! admirabar num fortuna tua etiam te seruaret! res terribilis, quae paene fuit calamitosa. sed maneant ceteri nuntii. ueni!” grauius inquit. “tu uocatus es;” et hobbitum ducens, illum in tabernaculum tulit.

“salue! Thorine,” introiens inquit. “eum attuli.”

ibi quidem Thorinus Scutumquerceum, multis uulneribus uulneratus, armisque ruptis atque secure scissa humi deiectis, iacuit.

qui, “uale, effractari bone,” inquit. “nunc ad aulas mansionis abscedo, ut iuxta patres meos sedeam donec orbis terrarum restitutus erit. quia nunc omne aurum atque argentum relinquo, et quo id parui pretii est abscedo, uolo a te in amicitia discedere, et utinam possim recipere et uerba mea et res gestas ad Portam.”

Bilbo doloris plenus in unum genu procubuit. “uale, Rex sub Monte!” inquit. “hoc est facinus acerbum, quod in hoc modo conficiendum sit; neque mons auri id emendare potest. nihilominus, laetus sum me partem in periculis tuis habuisse – quae est res maior quam quisquis Baggins meret.”

“minime!” Thorinus inquit. “est plus boni in te quam tu intellegis, puer Occidentis benigni. aliqua pars uirtutis cum aliqua parte sapientiae in modo mixta. si plus nostri

cibum atque iucunditatem atque cantum maioris quam aurum aceruatum aestimet, orbis iucundior sit. qui, uel tristis uel iucundus, nunc mihi relinquendus est. uale!”

tum Bilbo se auertit, et solus abscedit, et solus in stragula inuolutus consedit, et, utrum ei credis annon, lacrimauit donec oculi fuerunt rubri et uox fuit rauca. nam in animo benignus fuit. diu quidem cordi eius non libuit rursus iocari. “res misericorditer accidit,” tandem secum inquit, “ut in tempore experrectus sim. utinam Thorinus adhuc uiuat, sed laetus sum quod amici digressi sumus. stultus es, Bilbo Baggins, et illam rem de lapide in peius mutauisti; et proelium fuit, consiliis tuis optimis ad pacem atque otium emendum non exceptis, sed hinc puto te uix culpari posse.”

Bilbo omnia, quae euenerant postquam ictus est, sero intellexit; quae res ei plus doloris quam gaudii dedit, et nunc eum facinoris audacis taedebat. in ossibus suis dolebat ad iter domum faciendum. quod tamen paulo tardatum est, itaque interim dicere aliquid de rebus gestis mihi licet. aquilae diu gobelinos congregatos suspicabantur; motus in montibus a uigilantia quarum non omnino celari poterant. itaque, Aquila Magna Montium Nebulosorum ducente, se in magnis copiis quoque congregabant; et tandem, proelio longe olfacto, secundo uento in ipso articulo temporis aduenerant. ipsae gobelinos, quos super praecipita praecipitantes, uel

ululantes atque turbatos apud hostes depellentes, ex cliuis montis deiecerunt. non multo post Montem Solum liberauerant, ut et dryades et homines ab utroque latere uallis ad pugnandum in proelio infra demum uenirent.

sed, aquilis non exceptis, inferiores numero adhuc fuerunt. in illa hora ultima, Beorn ipse aduenerat – quo modo aut unde nemo sciuit. solus in figura ursi aduenit, qui adeo iratus fuit ut paene ad magnitudinem gigantis crescere uisus esset.

uox huius fremebat sicut tympana atque tormenta; lupos atque gobelinos sicut stramenta atque pennas e uia sua eiecit. impetu in tergum illorum facto, sicut tonitrus anulum penetrauit. nani adhuc circum dominos suos in colle humili rotundo perstabant. tum Beorn inclinans Thorinum, qui a hastis transfixus deciderat, sustulit, quem e certamine abstulit.

cito reuenit, ira ingeminata ut nihil ei resistere posset nec telum ei nocere uideretur. satellitibus sparsis, Bolgem ipsum deposuit et oppressit. tum gobelini, timore perculsi, passim effugerunt. hostes autem quorum, e fatigatione liberati a spe noua aduenienti, eos diligenter persecuti sunt, et, quatenus possent, plurimos prohibuerunt ne effugiant. multos in Flumen Fluens reppulerunt, et tales, qui ad meridiem uel occidentem effugerant, in paludes circum Flumen Siluestre uenabantur; et ibi maxima pars fugitiuorum ultimorum occidit, dum ei, qui uix ad terram Dryadum-Siluestrium uenerunt, ibi aut necantur aut in

tenebras inuias Mirksiluae mortuum ducuntur. carmina tradiderunt illa die tres quartas militum-gobelinorum Septentrionum occidere, et per multum annum montibus esse pacem.

ante solem occasum uictoria fuerat certa, sed adhuc inimicos pedibus sequebantur, cum Bilbo ad castra reuenit; pauci praeter grauius uulneratos etiam in ualle fuerunt.

"ubi sunt aquilae?" illo uesperi Gandalphum rogauit, dum in stragulis multis calidis inuolutus iacet.

"aliquae etiam uenantur," magus inquit, "sed plurimae ad nidos suos reuenerunt. hic manere recusauerunt, et prima luce matutina discesserunt. ducem quorum Dainus auro coronauit et iurauit se eis amicum per aeternum fore."

"me paenitet. eos rursus uidere mihi placuerit," Bilbo dormitans inquit; "fortasse eos domum rediens uidebo. puto me domum mox rediturum esse?"

"simul atque res tibi placet," magus inquit.

re uera, Bilbo nonnullos dies non uerum discessit. Thorino in loco profundo sub Monte sepulto, Vates Arkenlapidem in pectore eius posuit.

"ille ibi iaceat donec Mons deciderit!" inquit. "qui fortunam bonam genti eius omni, quae hic posthac habitabit, ferat!"

tum Rex-dryadum super sepulcrum eius Orcristum, ensem dryadum qui e Thorino captiuo raptus erat, deposuit. qui in carminibus dicitur semper in tenebris

coruscare quandocumque hostes appropinquabant, ut arx nanorum imparata capi non posset. ibi nunc Dainus Naini filius domicilium habebat, qui Rex sub Monte factus est, et postea plurimi nani alteri ad solium eius in aulis antiquis conuenerunt. e duodecim comitibus Thorini, decem superfuerunt. Filius atque Kilius illum scuta corporeque defendentes deciderant, nam ille fuit frater matris eorum natu maior. ceteri cum Daino manserunt; nam Dainus thesaurum suum bene disposuit.

fuit, sane, non iam aceruus distribuendus in tales partes, quales in animo olim habuerant, scilicet ad Balinum Dwalinumque, et Dorium Noriumque Oriumque, Oinum Gloinumque, Bifurem Bofuremque Bomburemque – neque ad Bilbonem. nihilominus quarta decima pars auri argentique omnis, et confecti et infecti, Vati data est; nam Dainus dixit:“pactionem mortuorum colemus, ut nunc ille Arkenlapidem seruet.”

pars etiam quarta decima fuit diuitiae ualde magnae, maiores quam illae multorum regum mortalium. ex illo thesauro, Vates multum aurum ad Dominum Oppidi-Lacus misit; et liberaliter comites amicosque remuneratus est. smaragdos Girionis Regidryadum dedit, tales gemmas quales ille maxime amauit, quas Dainus ad eum remiserat.

Bilboni dixit: “hic thesaurus tantum tuus quantum meus est; quamquam pactiones ueteres stare non possunt, quia tot ceteri, uincendo defendendoque eum, partem eius postulare possunt. nihilominus, quamquam tu omnem

partem tuam relinquere uoluisti, ego uellem uerba Thorini, de quibus eum paenituit, non confirmentur: paulum tibi demus. uelim ut te praeter omnes ditissime remunerem."

"benignissimus es," Bilbo inquit. "sed re uera ego releuor. quomodo in orbe terrarum omnem thesaurum istum, sine bello atque caede per totum iter, domum portaturus essem nescio. porro, quid de eo domi acturus essem nescio. certus sum eum in manibus tuis meliorem esse."

postremo duas arcas paruas solum habere uoluit, alia argenti impleta, alia auri, quales unus mannus fortis ferre poterat. "id tantum erit quantum ego gerere potero," is inquit.

tempus tandem aduenit in quo amicos ualere iussit. "uale Baline!" inquit; "et uale, Dwaline; et ualete Dori, Nori, Ori, Oine, Gloine, Bifur, Bofur, et Bombur! barbae uestrae numquam tenues crescant!" tum se uertens ad Montem addidit: "uale Thorine Scutumquerceum! et Fili Kilique! memoria uestra numquam decrescat!"

tum nani capita ante Portam suam profunde demiserunt, sed uerba in faucibus inhaeserunt. "uale et bene agas quocumque uageris!" Balinus tandem inquit. "si umquam nos iterum uiseris, cum aulae nostrae rursus amoenae factae erunt, tum daps splendidissima quidem erit!"

"si umquam uos domum meam praeteribitis," Bilbo inquit, "non opus erit ianuam pulsare! quarta hora est thea; sed uos omnes quandocumque exspectati eritis!"

tum se auertit.

---

copia dryadum iter faciebat; quae misere deminuta est, nihilominus multi gaudebant, nam nunc terrae septentrionales per multum diem longum iucundiores factae sunt. draco mortuus est, et gobelini superati, ut corda post hiemem ad uer gaudii prospicerent.

Gandalphus et Bilbo post Regem-dryadum equitabant, et iuxta eos Beorn, rursus in figura hominis, ambulabat, qui iter faciens magna uoce ridebat atque cantabat. itaque perrexerunt donec iuxta margines Mirksiluae appropinquauerunt, ad partes septentrionales loci e quo Flumen Siluestre effluebat. ibi constiterunt, nam magus et Bilbo recusauerunt se in siluam introituros esse, quamquam rex eos in aulis suis aliquamdiu manere iussit. in animo habuerunt limen siluae praeterire, et circum finem septentrionalem eius in uastitatem, quae inter eum atque initium Montium Glaucorum iacuit. uia fuit longa et iniucunda, sed gobelinis oppressis, tutior quam semitae dirae subter arbores eis uidebatur. praeterea, Beorn quoque ab eadem uia ibat.

"uale! o Rex-dryadum!" Gandalphus inquit. "silua uiridis sit iocosa, dum orbis terrarum adhuc iuuenis est! et omnis gens tua sit iocosa!"

"uale! o Gandalphe!" rex inquit. "tu semper appareas ubi maxime opus est te et minime exspectatus es! quo frequentius tu in aulis meis apparebis eo melius gratus

ero!"

"te obsecro," Bilbo inquit, qui balbutiebat et in pede uno stabat, "ut hoc donum accipias!" et torquem argento atque margaritis factum extulit, quem Dainus ei, ut discedebat, dederat.

"quomodo ego tale donum merui, o hobbite?" rex inquit.

"sane, er, putaui, tibi scire licet," Bilbo aliquanto conturbatus

inquit, "aliquam, er, remunerationem dari pro hospitio tuo oportere. uolo effractarium etiam humanitatem suam habere. multum uini tui bibi et multum panis edi."

"donum tuum accipiam, o Bilbo Splendide!" rex grauiter inquit. "et te amicum dryadibus et benedictum nomino. umbra tua numquam decrescat (aliter furari erit res nimis facilis)! uale!"

tum dryades ad Siluam se uerterunt, et Bilbo iter longum domum incepit.

---

antequam rediit, multa ardua atque facinora passus est. Vastitas illa erat etiam Vastitas illa, in qua erant multa praeter gobelinos; sed bene ducebatur atque bene custodiebatur – magus cum eo fuit, Beorn quoque per plurimam partem itineris – ut numquam rursus in periculo magno esset. itaque, media hieme, Gandalphus et Bilbo secundum margines Siluae ambos usque ad ianuas domus Beornis reuenerant; in quo loco ambo aliquamdiu manserunt. ibi tempus Saturnalium fuit calidum

iocosumque; et homines a Beorne conuocati ad epulandum e locis longe lateque diuersis aduenerunt. nunc gobelini Montium Nebulosorum pauci et pauidi et in foraminibus profundissimis, quae inuenire poterant, celati fuerunt; et wargi e siluis euanuerant, ut homines sine metu ubique uagarentur. Beorn quidem magnus dux in illis regionibus posterius factus est, et terram latam inter montes siluamque regnabat; et dicitur homines e stirpe eius per multas aetates facultatem mutandi in figuram ursi habuisse, et aliqui homines duri atque mali fuisse, sed plurimi in corde Beorni similes, minores autem magnitudine atque uiribus. in diebus quorum, ultimis gobelinis e Montibus Nebulosis expulsis, pax noua super limen Vastitatis uenit.

fuit uer, amoenum tempestatibus temperatis et sole claro, antequam Bilbo et Gandalphus demum a Beorne discesserunt, et quamquam domum desiderabat, Bilbo cum desiderio digressus est, nam flores hortorum Beornis in uere erant non minus admirandi quam in media aestate.

demum uiam longam ascenderunt et ad transitum ipsum peruenerunt qua gobelini eos antea ceperant. sed ad illum locum altum mane peruenerunt, ut, retrorsum prospicientes, solem album super terras patulas nitentem uiderent. ibi in tergo Mirksilua iacebat, caerulea procul, et adhuc in uere fuscauiridis ad marginem proximum. ibi Mons Solus in extrema acie oculorum longe afuit. nix in uertice altissimo adhuc non liquefacta pallida nitebat.

“sic nix post ignem uenit, et etiam dracones finem suum

habent!” Bilbo inquit, et tergum suum a facinore suo audaci auertit. pars Tookensis ualde defatigabatur, et pars Bagginsensis cottidie fortior fiebat. “uellem solum nunc ego in sella mea sim!” inquit.

CAPVT NONVM DECIMVM

GRADVS VLTIMVS

kalendis Maiis duo ad marginem uallis Riuendellis postremo reuenerunt, ubi Vltima (uel Prima) Domus Familiaris erat. uesper rursus fuit, manni fessi fuerunt, praecipue ille qui impedimenta portabat; et omnes crediderunt sibi opus esse requiete. dum secundum semitam praecipitem descendunt, Bilbo dryades etiam cantantes apud arbores audiebat, quasi cum discessisset non desiissent; et quam primum equites in nemora inferiora descenderant, cantus quidam ab illis erupit, eius modi qualis ante. hoc est aliquid ei simile:

dracone nunc adusto
et corpore combusto,
cum armis prorsus fractis
honoribusque sparsis!
nunc ensibus constrictis

et aulis nunc relictis,
nunc perditis coronis
ob causam ultionis,
et uiris uires desunt
nec opes illis prosunt,
hic gramina iam crescunt
et folia iam adstant,
hic flumina iam fluunt
dum dryades iam cantant.
tra-la tra-la uenite!
ad uallem reuenite!

sunt clariora stella
innumerae quam gemmae,
candidior est luna
argenteae quam flammae;
et melior est focus
in atriis serenis,
hic melior est locus
fodinis auri plenis!
tra-la tra-la adite,
ad uallem reuenite!

quo uaditis nunc serus?
exspectat uos haec domus.
nitentibusque stellis
currentibusque riuis,
quo itis onerati,

dolore superati?
amici hic manere
uos iubent et saluer e
cum la tra-la uenite
ad uallem reuenite!
tra-la tra-la tra-lally
fa-la fa-la fa-lally
fa-la!

tum dryades uallis egressae eos saluere iusserunt et trans aquam domum Elrondis duxerunt. ibi hospitaliter excipiebantur, et multae aures fabulam facinorum eorum audiendi cupidae aderant. Gandalphus ipse locutus est, nam Bilbo torpescebat atque dormitabat. plurimam fabulam sciuit, nam in ea infuerat, et ipse multam uel iter domum faciens uel apud Beornem mago narrauerat; sed aliquando, uno oculo aperto, audiebat cum pars fabulae, quam iam nesciuit, introducebatur.

hoc modo didicit quo Gandalphus isset; nam uerba, quae magus Elrondi dixerat, exaudiuit. uisus est Gandalphus in magno consilio magorum alborum, doctrinae atque magiae bonae dominorum, adfuisse; qui tandem Necromancticum ex atra arce in meridionali parte Mirksiluae expulerant.

"mox," Gandalphus dicebat, "Silua salutarior fiet. spero Septentriones per multos annos longos illo horrore liberatum iri. utinam tamen ille ex orbe exterminetur!"

"res quidem bene agatur," Elrond inquit; "sed uereor ut

in hoc saeculo fiat, neque in multis saeculis posteris.”

cum fabula de erroribus eorum narrata esset, fabulae erant aliae, etiam plurae, fabulae de rebus longe praeteritis atque fabulae de rebus nouis, atque fabulae de nullis omnino temporibus, donec caput Bilbonis in ceruicem suam nutauit, et commodus in angulo stertebat.

cum e somno excitatus esset cognouit se in lecto albo esse, et lunam lucere per fenestram apertam, sub qua dryades in ripis fluuii uocibus magnis clarisque cantabant.

gaudeamus nos, pariter canamus!
spiritus insunt foliis in altis,
astra florescunt, nitet in tenebris
florea luna.

gestiamus nos, saliamus una!
gramen impressum pedibus citatis!
sub citis umbris lepidisque Maiis
conueniamus!

somniis textis leuiter canamus!
nunc relinquamus placide inuolutum
hunc uiatorem requiete molli
atque sopore!

non susurret nec crepitetque Pinus,
luna decrescat, tenebrae resistant,
arbores, amnes tacitae quiescant,

mane moretur!

"itaque, Gens Iucunda!" Bilbo prospiciens inquit. "quota hora a luna est haec? uos *lallando excitare gobelinum ebrium possitis! nihilominus, gratias ago uobis."

"et tu stertendo excitare draconem saxeum possis – nihilominus gratias agimus tibi," ridentes responderunt. "hora ad primam lucem appropinquat, et tu ab incepto noctis nunc dormiuisti. heri, fortasse, lassitudo tua sanabitur."

"paulum somni apud Elrondem magnam sanitatem efficit," ille inquit; "sed quam maxime possum omnem sanitatem capiam. iterum, amici pulchri, bene quiescite!" his dictis, cubitum rediit et usque ad multum mane dormiuit.

in illa domu, lassitudine mox relicta, iucundus cum dryadibus uallis, mature et sero, saepe iocabatur saliebatque. nihilominus ne locus quidem ille nunc eum, qui semper de domu sua cogitabat, longe detinere potuit. quapropter, post hebdomadem Elrondem ualere iussit et, talibus donis paruis illi datis, qualia ille accipere passus est, cum Gandalpho euectus est.

etiam a ualle discedentes, caelum ante eos ad Occidentem caligine suffundebatur, et uentus atque imber eis obuiam ibant.

"iucundum est tempus Maii!" Bilbo inquit ut imber

faciem eius flagellabat. “sed fabulae post terga nostra sunt, et domum uenimus. puto hunc esse primum cuius gustum.”

“uia etiam est longa,” Gandalphus inquit.

“sed est uia ultima,” Bilbo inquit.

ad flumen aduenerunt quod marginem ipsum liminis Vastitatis signauit, et ad uadum sub ripa ardua, quod recordari tibi liceat. aqua et niuibus propter hiemem appropinquantem liquefactis et imbre per totum diem perpetuo tumuerat; quam non sine molestia quadam transierunt, tum, uesperi aduieniente, in partem ultimam itineris sui progressi sunt.

quam rem fecerunt in modo simili illi quo ante fecerant, praeterquam comitatus minor fuit et tranquillior; et porro, hoc tempore, trolla fuerunt nulla. in omni parte uiae Bilbo res gestas atque uerba abhinc unum annum recordabatur – quem magis similem decem ei esse uisum est – ut, sane, locum, qua mannus in flumen deciderat et se in facinus foedum cum Toma, Berto, Rostroque auerterant, cito animaduerteret.

non procul e uia aurum trollorum, quod sepeliuerant, adhuc celatum atque intactum inuenerunt. cum id effodissent, “satis superque habeo, quod per tempus meum manebit,” Bilbo inquit, “te oportet hoc ferre, Gandalphe. mihi liceat dicere te hoc uti posse.”

“possum quidem!” magus inquit. “sed aeque partiatur! tibi liceat te desideraturum esse multa, quae non

exspectaueris.”

itaque aurum in saccis positum in mannis, quibus res nequaquam placuit, suspenderunt. postea lentius progressi sunt, nam plerumque ambulabant. terra autem erat uiridis et multum erat graminis, quod hobbitus aequo animo perambulabat. faciem sudario serico rubro detersit – minime! ne unum quidem eius superfuerat, qui hoc ab Elronde mutuatus erat – nam nunc Iunius aestatem tulerat, et tempestas rursus clara calidaque erat.

sicut omnia ad finem peruenerunt, haec fabula quidem, dies quidam aduenit ubi in aspectu terrae in qua Bilbo natus atque altusque erat, in qua figuras agrorum atque arborum tam bene nouit quam manus suas atque digitos pedum. ad cliuum adueniens Collem suum procul uidere potuit, et repente constitit atque dixit:

pergit iter semper, semper per saxaque saltus,
atra per antra procul, trans fluuios ad aquam;
trans brumam niueam, per flores fertilis aestus,
atque supra segetes, sub tenebrisque iugis.

pergit iter semper, semper sub nubibus, astris,
sed pedibus tandem sic itur

usque domum.

belligeris aulis auersaque lumina tandem

prata uirentia iam nota uidere uolunt.

Gandalphus eum aspiciens, “carissime Bilbo!” inquit. “nescio quomodo mutatus es! non talis hobbitus qualis olim eras.”

itaque pontem transierunt et pistrinum praeterierunt et usque ad ianuam ipsam Bilbonis reuenerunt.

qui “di me ament! quid accidit?” clamauit. fuit magna commotio et homines omnium generorum, et honesti et inhonesti, circum ianuam densi fuerunt, multi ineuntes exeuntesque – neque etiam pedes in tegete detergentes, ut Bilbo molestus animaduertit.

etsi miratus est, magis mirati sunt illi. nam reuenerat in media auctione! magnum signum nigro rubroque scriptum in porta pendebat, quod asseuerauit a.d. X Kal. Iul. dominos Grubb, Grubb Burrowesque ab auctione uenditurос esse bona Domini Bagginsis mortui, Bag-Fine, Sub-Colle, Hobbitoni. uenditionem incepturam esse decima hora ipsa. nunc paene hora prandii fuit, et plurimae res iam uenditae erant, pretiis diuersis a paene nihilo ad cantus ueteres (ex more auctionum). re uera, consobrini Bilbonis, Sackuille-Bagginses, conclauia eius sedulo metiebantur ut cognoscerent num supellectiles suas accomodari possent. scilicet, Bilbo mortuus esse

putabatur, neque omnem, qui sic putabat, paenitebat cognoscere se falso putauisse.

regressus Domini Bilbonis Bagginsis effecit ut admodum esset commotio, et sub Colle et supra Collem et trans Aquam; quae fuit multo magis quam res per dies nouem admiranda. molestia legalis quidem annos nescio quos permanebat. diu post Bilbo iterum uiuere non credebatur. difficile fuit illis, qui res uilissimo emerant, persuadere; ut postremo Bilbo, ad compendium temporis faciendum, magnam partem supellectilum suarum redimeret. multa cochlearia sua argentea nescio quomodo euanuerant, cuius rei ratio numquam reddi poterat. ipse Sackuille-Bagginses suspicatus est. qui, ex parte sua, numquam confessi sunt Bilbonem regressum esse uerum, neque Bilboni postea fuerunt amici, adeo in foramine-hobbito amoeno eius habitare uoluerant.

Bilbo quidem cognoscit se plura quam cochlearia amisisse – nam honorem suum amiserat. postea uero dryadibus amicus semper erat, et a nanis, magis, atque omnibus talibus gentibus, quae umquam illa uia praeteribant, honorabatur; sed non iam satis honestus erat. re uera, ab omnibus hobbitis in propinquo “insolitus” habebatur – praeter a nepotibus neptibusque de stirpe Tookense, ne amicitia quidem quorum a maioribus confirmabatur.

me paenitet dicere mentem eius fuisse aequum. satis contentus fuit; et postea sonitus aenei in foco eius magis

modulatus, quam etiam in diebus tranquilis ante Conuiuium Inopinatum fuerat, semper erat. ensis super tabulam supra focum pendebat. lorica in atrio erecta ponebatur (donec eam Museo cuidam mutuatus est). auro atque argento suo dona et utilia et sumptuosa plerumque emit, quae res amorem nepotum neptiumque eius aliquatenus explicauit. anulum magicum omnino secretum seruabat, nam plerumque cum salutatores iniucundi aduenissent, eo uti solebat.

carmina scribere atque dryades uisitare coepit; et, quamquam multi capita quassare atque frontes tangere et dicere: "miser Baggins senex!" solebant, et quamquam pauci fabulis eius ullis credebant, nihilominus laetissmus usque ad supremos dies, qui admodum diuturni erant, manebat.


---

uesperi quodam autumnali nonnullis post annis, Bilbo in bibliotheca sua sedebat commentarios suos scribens – quos in animo habuit nominare "Illuc atque Rursus Retrorsum, Vacatio Hobbiti" – cum tintinnabulum ianuae tinniuit. fuerunt Gandalphus et nanus; et nanus uero fuit Balinus.

"intrate! intrate" Bilbo inquit, et mox in sellis iuxta ignem commode sedebant. si Balinus animaduertit subuculam (quae orbiculos aureos ueros habuit) Domini Bagginsis ampliorem esse, Bilbo quoque animaduertit barbam Balini unciis nonnullis longiorem esse, et balteum

gemmatum eius splendidissimum esse.

de temporibus, quibus consociati erant, sane, loqui coeperunt, et Bilbo rogauit quomodo res in terris Montis agerentur. res optime agi uisae sunt. Vates oppidum Conuallis restaurauerat, et homines e Lacu atque Meridie Occidenteque ad eum se congregauerant, et omnis uallis rursus culta erat et fertilis facta erat, et uastitas nunc auium atque florum uere et frugum atque epulantium autumno impleta est. porro Oppidum-Lacus restitutum nunc prosperius quam umquam antea erat, et multae diuitiae secundo aduersoque Flumine Fluenti ferebantur; et in illis regionibus inter dryades nanosque hominesque fuit amicitia.



Dominus prior mortuum taetrum obierat. cui Vates multum auri ad Homines-Lacus adiuuandos dederat, sed quia talis erat qualis tantum morbum facile contrahit, in aegritudinem draconis cecidit, et cum plurimo auro rapto effugit, tum a comitibus suis desertus in Vastitate fame enecatus est.

“Dominus nouus sapientior est,” Balinus inquit,“et gratissimus, nam, sane, plurimam gratiam prosperitate praesenti init. cantus nunc componunt, qui tradunt flumina

in diebus eius auro fluere.”

“tum uaticinationes cantuum ueterorum uerae factae sunt, nescio quo modo!” Bilbo inquit.

“sane!” Gandalphus inquit. “quare non licet illas fieri ueras? num uaticinationibus non credis, quod te adiuuante illae effectae sunt? num tu uero putas omnia facinora effugiaque tua casu ipso gesta esse, quae tibi soli prodessent? tu dignissimus es, Domine Baggins, et tibi amicissimus sum; sed nihilominus tu in orbe terrarum lato solum satis es salaputium!”

“dis gratias habeo!” Bilbo ridens inquit, et ollam tabaci ei tradidit.

NOMINA PROPRIA

Aculeus, -i	*Sting*
Altus Transitus	*The High Pass*
Arkenlapis, -idis	*The Arkenstone*
Azog, -is	*Azog, a goblin*
Bag-Finis	*Bag-End*
Balinus, -i	*Balin, a dwarf*
Barbaelongae, -arum	*Longbeards, a dwarf clan*
Belladonna, -ae Took, -is	*Belladonna Took, Bilbo's mother*
Beorn, -is	*Beorn, a skin-changer*
Bertus, -i	*Bert, a troll*
Bifur, -ris	*Bifur, a dwarf*
Bilbo, -onis Baggins, -is	*Bilbo Baggins, a hobbit*
Bladorthinus, -i	*Bladorthin, a king*
Bofur, -ris	*Bofur, a dwarf*
Bolg, -is	*Bolg, a goblin*
Bombur, -ris	*Bombur, a dwarf*
Bungo, -onis Baggins, -is	*Bungo, Bilbo's father*
Calluna uulgaris	*heather*
Carc, -is	*Carc, a raven*
Carrec, -is(n.)	*Carrock, a rock*
Colles Ferrei	*Iron Hills*
Conuallis, -is	*Dale, a town*

Cor Montis	uide *Arkenlapis*
Coruicollis, -is	*Ravenhill*
Dainus, -i	*Dain, Thorin's cousin*
Deuersorium Draconis Viridis	*Green Dragon Inn*
Domus Familiaris Vltima	*The Last Homely House* (uide *Rivendell*)
Dorius, -i	*Dori, a dwarf*
Doruinium, -i	*Dorwinion*
Durinus, -i	*Durin, Thorin's ancestor*
Dryades-Altae	*High-elves*
Dryades-Clarae	*Light-elves*
Dryades-Maritimae	*Sea-elves*
Dryades-Profundae	*Deep-elves*
Dryades-Siluestres	*Wood-elves*
Dwalinus, -i	*Dwalin, a dwarf*
Elrond, -is	*Elrond, Lord of Rivendell*
Esgaroth, -is	*Esgaroth* (uide *Oppidum-Lacus*)
Fata in Occidente	*Faerie in the West*
Filius, -i	*Fili, a dwarf*
Flumen Fluens	*River Running*
Flumen Siluestre	*Forest River*
Fodinae Moriae	*Mines of Moria*
Fundinus, -i	*Fundin, Balin's father*
Galion, -onis	*Galion, the elf-king's butler*
Gandalphus, -i	*Gandalf, a wizard*
Girion, -onis	*Girion, Lord of Dale*
Glamdring, -is	*Glamdring*, *a sword*
Gloinus, -i	*Gloin, a dwarf*
Gobelinus Magnus	*Great Goblin*
Golfimbulus, -i	*Golfimbul*, *a goblin*

Gollum, -i	*Gollum*
Gondolin, -is	*Gondolin*
Gulielmus, -i	*William, a troll*
Hobbiton, -i	*Hobbiton*
Homines-Lacus	*Lake-Men*
Kilius, -i	*Kili, a dwarf*
Lacus-Longus	*Long Lake*
Limen Vastitatis	*The Edge of the Wild*
Locus Ericaeus Marcidus	*Withered Heath*
Malleus-hostium	*Foe-hammer* (uide *Glamdring*)
Mirksilua, -ae	*Mirkwood*
Mons Gramus	*Mount Gram*
Mons Gundabad, -is	*Mount Gundabad*
Mons Solus	*Lonely Mountain*
Montes Glauci	*Grey Mountains*
Montes Nebulosi	*Misty Mountains*
Mordax, -acis	*Biter* (uide *Orcristus*)
Moria, -ae	uide *Fodinae Moriae*
Nainus, -i	*Nain, Dain's father*
Necromancticus, -i	*Necromancer*
Norius, -i	*Nori, a dwarf*
Oinus, -i	*Oin*, *a dwarf*
Oppidum-Lacus	*Lake-Town*
Orbis Latus	*Wide World*
Orcristus, -i	*Orcrist*, *a sword*
Orius, -i	*Ori, a dwarf*
Porta Antica	*Front Gate*
Proelium Agrorum Viridium	*Battle of the Green Fields*
Proelium Quinque Exercituum	*Battle of Five Armies*

Propeaquam	*Bywater*
Radagastus, -i	*Radagast, a wizard*
Rex-dryadum	*Elvenking*
Riuendell, -is	*Rivendell*
Roäc, -is	*Roäc, a raven*
Rostrum, -i	*'Bill'* (uide *Gulielmus*)
Scissor-gobelinorum	*Goblin-cleaver* (uide *Orcristus*)
Senex Took, -is	*Old Took, Bilbo's grandfather*
Smaug, -is	*Smaug, a dragon*
Sub-Collis, -is	*Underhill*
Taurifremitor, -is	*Bullroarer, Bilbo's ancestor*
Thorinus, -i Scutumquerceum	*Thorin Oakenshield*
Thrainus, -i	*Thrain, Thorin's father*
Thror, -is	*Thror, Thrain's father*
Tomas, -ae	*Thomas, a troll*
Vastaterra, -ae	*Wilderland*
Vastitas, -atis	*The Wild*
Vastitas Draconis	*Desolation of the Dragon*
Vates, -is	*Bard, a man*
Verberator, -is	*Beater* (uide *Glamdring*)
Versipellis-uerminosus	*Were-worm*
Vestibulum Anticum	*Front Porch*

VERBA FORTASSE AVT INCOGNITA AVT NOVA

abies, -etis	*fir tree*
aeneum, -i	*kettle*
amaracus, -i	*marjoram*
amictorium, -i	*scarf*
antirrhinum, -i	*snapdragon* (flower)
apatura iris	*purple emperor butterfly*
apotheca, -ae	*cellar* (for wine or beer)
aranea, -ae	*spider*
araneum, -i	*cobweb*
baiulus, -i	*porter*
biscoctus, -i	*biscuit*
bulla, -ae	*door-knob*
butyrum, -i	*butter*
cafaeum, -i	*coffee*
cataracta, -ae	*portcullis*
catillum, -i	*bowl* or *dish*
cella penaria	*pantry*
ceruisia, -ae	*beer*
ceruus elaphus	*red deer*
claustellum, -i	*keyhole*
cochlear, -aris (n.)	*spoon*

conditura rubi idaei	*raspberry jam*
conies, -iei	*cony* (slang for rabbit)
cram, -i	*cram* (a biscuit-like food)
crataegus oxycantha	*hawthorn*
cremium, -i	*firewood*
crepido, -inis	*quay*
cucullus, -i	*hood* (of a cloak)
culcitula, -ae	*small mattress*
cuniculus, -i	*tunnel* or *rabbit*
cupa, -ae	*barrel* or *cask*
curia, -ae	*town-hall*
deiectus aquae	*waterfall*
dryas, -adis	*elf*
ductus fumarius	*chimney*
effractarius, -i	*burglar*
exedra, -ae	*drawing-room*
facinus, -oris (audax)	*an adventure*
fasciae bracarum	*trouser braces*
filum fimbriatum	*tassel*
filum sulphuratum	*match* (for fire)
fores in tabulato	*trapdoors*
fumisugium, -i	*pipe* (for smoking)
gigans, -tis	*giant*
gobelinus, -i	*goblin*
hamaxostichus, -i	*train*
hobbitus, -i	*hobbit*
hobbitus, -a, -um	*hobbit* (adjective)
hobgobelinus, -i	*hobgoblin*
horologium, -i	*clock*

igniarium, -i	*tinder-box*
integumentum manuum	*muff* (fur covering the hands)
ius congelatum	*jelly*
lallo, -are	*to sing a lullaby*
lapathum, -i	*sorrel*
laridum, -i	*bacon*
larix, -icis	*larch tree*
lusus disci	*(a game of) quoits*
lusus globuli lusorii	*(a game of) bowls*
lusus latitandi	*(a game of) hide-and-seek*
lusus pilamallei	*(a game of) golf*
lusus trunculorum	*(a game of) skittles* (ninepins)
lusus uiri oculis obligatis	*(a game of) blind-man's-buff*
magia, -ae	*magic*
magus, -i	*wizard*
mannus, -i	*pony*
manticula, -ae	*purse*
megascops, -opis	*screech owl*
minurritio, -onis	*twittering* (of birds)
mitella, -ae	*sling* (medical)
mitril, -is	*mithril, a precious metal*
nanus, -i	*dwarf*
oblectamentum liberorum	*toy*
officium tabellarii	*post-office*
orbiculus, -i	*button*
orcus, -i	*orc* (uide *gobelinus*)
perspicillus, -i	*telescope*
plaustrum, -i	*the Wain* (constellation)
proiectum saxi	*ledge* (of stone)

promus, -i	*butler* or *steward*
puluis bombardica	*gunpowder*
pyrobolus chartaceus	*firework*
quaesitio, -nis	*quest*
ramalia, -orum	*twigs*
rubus, -i	*blackberry bush*
runa, -ae	*rune*
rutabulum, -i	*poker* (for fireplace)
saluia, -ae	*sage* (the herb)
sanguisuga, -ae	*vampire* (strictly, *a leech*)
scabillum, -i	*footstool*
schida, -ae	*note-paper*
sciurus, -i	*squirrel*
scyphus sextarius	*pint mug*
sinus, -us	*pocket*
stapedium, -i	*stirrup*
subucula, -ae	*waistcoat*
succinctorium, -i	*apron*
sudarium, -i	*handkerchief*
tabacum, -i	*tobacco*
tabula geographica	*map*
tabula negotiorum	*engagement tablet*
tapetum, -i	*carpet*
teges, -etis	*(door)mat*
thea, -ae	*tea*
thymum, -i	*thyme*
tibia clarisona	*clarinet*
tibialia, -ium	*stockings*
trifolium cristatum	*cockscomb clover*

trollum, -i	*troll*
tyto, -onis alba	*barn owl*
umerale, -is	*cape* (worn over the shoulders)
uasum ligneum	*tub*
uenditor condimentorum	*grocer*
uericulum, -i	*skewer*
wargus, -i	*warg* (wild wolf)

APPENDIX

POETICAL METRES

As a rule-of-thumb, informal or impromptu songs are rendered in rhythmic style, more formal or dignified verses in quantitative metres.

By ‘rhythmic’ I mean verses of the medieval type which, just like much English verse, rely for their effect on the pattern of stressed and unstressed syllables – and frequently rhyme, too. Here the patterns are either trochaic or iambic. A trochee is a metrical unit of two syllables, in which the beat falls on the first (so the rhythm is *dum-di, dum-di* ...). Hence, the famous *Dies Irae* begins:

> ***Di****es* ***ir****ae,* ***di****es* ***il****la,*
> ***sol****uet* ***saec****lum* ***in*** *fa****vil****la*
> ***tes****te* ***Dav****id* ***cum*** *Si****byl****la*

An iamb, by contrast, has the beat fall on the second

syllable (*di-dum, di-dum* ...). So, Peter Abelard's iambic *O quanta qualia*:

> *O **quan**ta **qua**li**a** sunt **il**la **sab**ba**ta***
> *quae **sem**per **ce**le**brat** su**per**na **cu**ri**a***

Unlike quantitative verse, in these songs there is no elision between words. So, in *frange uitra et catilla* (*Caput I*) the final 'a' of *uitra* is not elided with the 'e' of *et*.

By 'quantitative', I mean the standard metres of classical Roman verse, which are based on the so-called 'weight' of syllables. Put simply, each syllable of a line of verse is regarded as being either heavy or light (its 'quantity') according to certain fixed rules – a long vowel always entails a heavy syllable, but sometimes a syllable containing a short vowel can be heavy (e.g. if the vowel is followed by two consonants, with certain exceptions). It is the specific pattern of heavy and light syllables that determines the metre. In this book there are examples of hexameters, elegiac couplets, hendecasyllables, Alcaic, Asclepiad and Sapphic stanzas. The trochaic dimeter / iambic trimeter verse used in *Caput X* is that of Horace, *Ode* ii.18.

The abstruse term *catalectic* simply means that the line is short by one syllable.

Caput I

- *frange uitra et catilla* – rhythmic trochaic
- *trans Montes Nebulae frigore dissitos* – First Asclepiad

Caput III

- *quid facitis? quo uaditis* – rhythmic iambic

Caput IV

- *plaude! frange! rima atra* – rhythmic trochaic

Caput V (*aenigmata*)
Elegiacs:

- *quid tenet inuisas radices ...*
- *sunt qui post mandunt ...*
- *uoce carens clamat ...*
- *lumina caerulea facie ...*

Hexameters:

- *nec uidear neque nemine ...*
- *est sine cardinibus ...*
- *cum nullis animis ...*

- *omnia deuorat id ...*

Caput VI

- *quinque aues quindecim arboribus* – rhythmic trochaic (catalectic)
- *arde silua, filex arde* – rhythmic trochaic

Caput VII

- *deserta uentus marcida transigit* – Alcaic

Caput VIII

- *aranea uetusta pigra* – rhythmic iambic (catalectic)
- *ignauaque insanaque* – rhythmic iambic

Caput IX

- *reuoluite, reuoluite* – rhythmic iambic
- *atro flumine concito secundo* – hendecasyllables

Caput X

- *ille Rex sub arduis* – trochaic dimeter / iambic trimeter (catalectic)

Caput XV

- *tandem sub tenebris rupibus arduis* – First Asclepiad

Caput XIX

- *dracone nunc adusto* – rhythmic iambic (catalectic)
- *gaudeamus nos, pariter canamus* – Sapphics
- *pergit iter semper, semper per saxaque saltus* – elegiacs

Also available

MICHAEL BOND

URSUS NOMINE PADDINGTON

Translated into Latin by PETER NEEDHAM

"quid vides? num ursus adest in statione Paddingtoniensi?" obstupefacta Domina Brunna coniugem contemplavit. "noli stultus esse, Henrice. non potest fieri!"

(*"A bear? On Paddington station?" Mrs Brown looked at her husband in amazement."Don't be silly, Henry. There can't be!"*)

Paddington Bear had travelled all the way from Darkest Peru when the Brown family first met him on Paddington station. Since then their lives have never been the same... for ordinary things become quite extraordinary when a bear called Paddington is involved.

Today, over fifty years since his debut, the original story of Paddington's humorous misadventures, *A Bear Called Paddington*, is presented in this charming Latin edition, illustrated by Peggy Fortnum.

"Peter Needham has risen valiantly to the task of finding equivalents to Paddington's 'hard stare', his 'elevenses' with Mr Gruber, and, perhaps most difficult of all, his penchant for 'marmalade sandwiches'; not something that can have figured highly on the menus of ancient Rome. Who said Latin is a dead language? In Peter's hands, Ursus Nomine Paddington *has a very satisfying ring to it."*

— MICHAEL BOND

HarperCollins Children's Books
ISBN: 978-0-00-741256-3

Copyright

HarperCollins*Publishers*
77–85 Fulham Palace Road,
Hammersmith, London W6 8JB
www.tolkien.co.uk

Published by HarperCollins*Publishers* 2012

Source ISBN: 9780007445219

Ebook Edition © September 2012 ISBN: 9780007485949

Version 1

FIRST EDITION

HarperCollins e-books

About the Publisher

Australia
HarperCollins Publishers (Australia) Pty. Ltd.
Level 13, 201 Elizabeth Street
Sydney, NSW 2000, Australia
http://www.harpercollins.com.au/ebooks

Canada
HarperCollins Canada
2 Bloor Street East - 20th Floor
Toronto, ON, M4W, 1A8, Canada
http://www.harpercollins.ca

New Zealand
HarperCollins Publishers (New Zealand) Limited
P.O. Box 1
Auckland, New Zealand
http://www.harpercollins.co.nz

United Kingdom
HarperCollins Publishers Ltd.
77-85 Fulham Palace Road
London, W6 8JB, UK

http://www.harpercollins.co.uk

United States
HarperCollins Publishers Inc.
10 East 53rd Street
New York, NY 10022
http://www.harpercollins.com